


DISSERTATIO MEDICO-THERAPEUTICA

INAUGURALIS

DE

VALDE MULTIPLICI FEBRIUM INTERMITTENTIUM MEDICATIONE, SPECIATIM DE MEMBRORUM MAIORUM CIRCUMSTRICTIONE, TENTAMINIBUS IN NOSOCOMIO ACADEMICO EXPLORATA,

QUAM,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GABRIËLIS VAN OORDT,

TH. DOCT. ET PROF. ORD. ET CONCION. ACADEM.

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE CONSULTO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS, RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

WILHELMUS REINERUS VAN BAERLE,

GELRO-BATAVUS.

DIE XXXI. JULII MDCCCIX. Horâ I. l. f.

TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinis OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG,

ET J. VAN SCHOONHOVEN,

Academiae Typographorum.

Neque hercule ſatis est, ipſas tantùm febres Medicum intueri, ſed etiàm totius corporis habitum, et ad eum dirigere curationem, ſeù ſuperſunt vires ſeù deſunt, ſeù quidam mali affectus interveniunt. Celſus.

VIRO . AMPLISSIMO

ALOISIO . GULIELMO . LAURENTIO . VAN . BAERLE

CAUSSIS . LITIGANTIUM . PARTIUM . AMICE . COMPONENDIS . PRAEFECTO TRIBUNALI . QUONDAM . AB . ACTIS . CET .

PARENTI . OPTIMO . CARISSIMO .



VIRO . SPECTATISSIMO . CONSULTISSIMO SENI . PLURIMUM . VENERANDO

HERMAN . BAREND . HONDEBEEK . HEERKENS

PHIL . ET . JUR . UTR . DOCTORI . AULAE . IURIDICAE . PROVINCIAE SUPERIORIS . GELRIAE . QUONDAM . AB . ACTIS . CET .

AVO . MATERNO . DILECTISSIMO . AD . ROGUM USQUE . COLENDO .



VIRO . CLARISSIMO . ERUDITISSIMO SENI . MAXIME . REVERENDO

MATTHIAE . VAN . GEUNS

MED . DOCT . MEDIC . REG . CONSIL . PRIMAR . DISCIPL . MEDIC . INSTIT . ET . PRAX . NECNON . BOTAN . PROF . ORD . REGIONISQUE . TRAJECTINAE , ARCHIATRO . REG . INSUPER . ORDIN . EQUESTR . SOCIETATIQUE . AD . PERFICIENDAM . ARTIUM . SCIENTIAM . ADSCRIPTO . CET .

PRAECEPTORI . AC . DIGNITATIS . SUAE . PROMOTORI EXOPTATISSIMO .

VIRO . PERILLUSTRI . DOCTISSIMO

C O R N E L I O . H E N R I C O . A . R O Y

MED . DOCT . MEDIC . REG . ORD . PRIMAR . NOSOC . AUTEM . MILITAR . PER . UNIVERS . HOLLAND . CURANDIS . PRAEF . MEDIC . PRIMAR . SOCIETATIQUE . REG . AD . PERFICIENDAM . ARTIUM . SCIENTIAM . ADSCRIPTO . CET .

FAUTORI . SUO . AMICO . HONORATISSIMO .



ITEM . CONSANGUINEIS . PRAECEPTORIBUS AMICISQUE . CETERIS .

IN . PERPETUAM . GRATI . ANIMI . ET . OBSERVANTIAE TESSERAM

HASCE . LABORIS . SUI . LITTERARII . PRIMITIAS SACRAS . ESSE . VOLUIT . AUCTOR

W. R. VAN BAERLE.



DISSERTATIO MEDICO-THERAPEUTICA INAUGURALIS.

DE

VALDE MULTIPLICI FEBRIUM INTERMITTENTIUM MEDICATIONE, SPECIATIM DE MEMBRORUM MAIORUM CIRCUMSTRICTIONE, TENTAMINIBUS IN NOSOCOMIO ACAD. EXPLORATA.

Prooemium.

§. I. Peracto jam disciplinae medicae studio academico, quum mihi, Doctoris honores ambiendi licentiam nacto, doctrinae argumentum quoddam, tamquam profectuum meorum qualecunque specimen, sit elaborandum et in publicum emittendum: in tantâ rerum, quam amplissimus scientiae Medicinae ambitus exhibet, copiâ, diu multumque dubius haesi, quamnam potissimum, hunc in finem, disputandi sumerem materiem, eamque nec nimis tritam, nec viribus juvenilibus superiorem. Ut adeo, quae juvenum, in arenam litterariam primum proditurorum, sors fere communis est, in ipsâ hâc rerum copiâ consilii inops fuerim. Quâ ergò incertitudine ut me expedirem, consultum adii aestumatissimum Praeceptorem

ac Promotorem, maxime venerandum senem Gcunsium, qui, uti singularem in me erudiendo et ducendo operam posuit (pro quâ licet gratias referre non potuerim, animo tamen habebo, dum vivam), ita pro singulari suâ humanitate amantisfimè me excepit, cunctantique auctor fuit et suasor, ut de circumstrictione membrorum corporis majorum, tamquam efficaci ad febrium intermittentium impetum retundendum nuperius laudato, nobisque etiam institutis pridem in Nosocomio academico experimentis probato, attamen non valdè adhucdum usitato remedio, disputarem novisque tentaminibus, in medelae hujus valore aestimando ejusque usu et loco determinando, versarer. Arrisit mox rei novitas et utilitas, quam confirmatam nobis videre licuerat quamque auctoritas viri gravisfimi etiam atque etiam commendabat.

§ II. Et profecto in tantâ remediorum consiliorumque, ad febres intermittentes ab omni tempore laudatorum, copiâ et diversitate non inutilis mihi visa est opera et labor, qui in medelâ hâc novâ expendendâ versaretur, non adeo ut medicamentaria penus, jam forte nimis ampla, ultra augeatur aut aggravetur; sed vel maximè ut novo probabilique huic remedio verus suus adsignetur usus et locus; utque insuper aliorum praecipuorum, ad febres hasce certisfimè et optimè valentium, at virium diversitate Medicos facile confundentium, remediorum ratio etiam justa habeatur; quo fiat ut uni alterive soli in diverso morbi statu non inhaereamus medicamini, nec, empiricorum vulgarium more, per fortuita discurramus omnis generis medicationum pericula: sed ut, rationali incedamus therapiâ, distinguendo, quantum viribus valeamus, cum remediorum probatisfimorum, at valdè diversorum, diversas facultates et agendi modos, tum aegrorum varias conditiones morbique statum verè diversum, ut singula singulis rectè accommodando, nec promiscuè incongrua adhibendo remedia, neque uni alterive soli inhaerendo, sperato destituamur successu.

Quam-

Quamvis igitur principis remedii Corticis peruviani, paucorumque huic analogorum febrifugorum, at aliâ certe ac nostrum ratione agentium, utilitatem, usu nostri remedii prorsus commutari vel tolli posse nequaquam arbitremur; ratione tamen et observationibus doceri videmur, medicaminum illorum efficaciam eâ, quam hic laudamus, administratione interpositâ, non modò adjuvari et promoveri, sed et suppleri non nunquam posse. Atque adeo vel hâc de causâ neminem Medicorum fore confido, quin, in hodiernâ praesertim illâ corticis peruviani boni penuriâ et caritate, uti succedanea alia probatae virtutis remedia, ita nostram quoque administrationem avide protinus sit arrepturus, laudans ea, quae ad hanc recte aestimandam prudenter instituantur, pericula, quibus autem Nosocomia prae ceteris commodam suppeditant opportunitatem.

§. III. Quodsi insuper apud animum tantisper reputemus, plurimas è nostris Regionibus numerosâ febrium, praesertim intermittentium, cohorte frequenter esse infestatas, tempore tam vernali quam praecipuè auctumnali, immò nonnullas hisce febribus veluti endemiis, iisque saepè valdè perniciosis, tamquam atro carbone notatas, divexari; tantò magis divinam revereri Providentiam oportet, quae simplex adeò remedium cognoscere nobis dedit, quod, tam facile adhibitu nullisque ferè impensis grave, pauperculae plebi numerosaeque tenuis conditionis multitudini, cui rès est angusta domi et curta supellex, ex eo magis beneficum haberi debet, quod pretiosi, et hinc saepè non genuini nec boni, Corticis sumptibus parcat, sive usum ejus subindè suppleat sive minus necessarium faciat.

§ IV. Hisce ergò de causis ad argumentum propositum, quod utilitate medicâ, praesertim inter cives nostros, valdè commendabile visum est, pro ingenii tenuitate elaborandum, measque adeò hâc operâ vires exercendas, facile impelli me passus sum, sperans fore, ut hasce qualescumque laboris mei litterarii primitias, aequi rerum arbitri benigno excipiant animo,

erroresque aut vitia, quae irrepserint, in bonam interpretari velint partem.

Ut autem idoneo quodam in hâc disputatione meâ procedam ordine, hanc mihi proposui dicendorum normam: ut

1°. brevibus declarem ordinem varium, multiplicemque in febribus intermittentibus medendis viam et rationem, a Medicis abhibitam;

2°. speciatim agam de curatione illâ, quae fit, membra corporis majora, adventante febre, ligamine circumstringendo;

3io. quaedam de curationis hujusce efficaciâ, factis in Nosocomio nostro academico tentaminibus, subjungam, effectusque ejusdem administrationis nobis observatos enarrem.



Caput primum.

DE VARIA ET MULTIPLICI AD FEBRES INTERMITTENTES LAUDATA MEDENDI VIA ET RATIONE.

§ V. Satis notum omnibus est, in Febre intermittente regulari omni ſpectandos venire ipſos non tantum febriles acceſſus, ſive *Paroxysmos*, temporibus ſuis ſtatis prodeuntes, decurrentes et circuitu certo redientes, ita ut à febre liberum et cum paroxysmis alternans exhibeant temporis ſpatium, *Apyrexiam* ſive tempus intermisſionis; dum inſuper in ipſo febrili paroxysmo notanda ſint diverſa, per quae decurrit, *ſtadia: Horroris* puta et *Frigoris*, quo invadit, *Caloris* et *Exaeſtuationis*, quo viget, et denique *Sudationis*, quo defervescit paroxysmus.

§ VI. Itaque, ſecundum diverſa haec febrium intermittentium tempora, ipſa quoque curatio non una esſe ſolet et eadem, potestque haec dividi in eam, quae conveniat ſtatui apyrexiae, hoc est, *extra paroxysmos*, inque illam, quae locum inveniat *in paroxysmo.* In paroxysmo denique pro ſtadiorum diverſitate aliam atque aliam non raro postulari curandi rationem, notum itidem est.

Ex his autem jam protinus elucescit, valdè diverſam et multiplicem esſe posſe, et ſaepe debere, medendi methodum, eamque vario isti intermittentium ſtatui accommodatam, atque adeò diverſitatem et curationis et remediorum multo majorem numeroſioremque in hisce febribus, quam in febribus continuis, occurrere debere; itaque mirandum non esſe, quandò valdè diverſarum medicationum immenſam ferè farraginem, ab hominum vulgo non tantum commendatam, ſed etiam à ſcriptoribus practicis, ad febres intermittentes curandas, congestam et oblatam videmus.

 § VII.

§ VII. Quum autem bonae doctrinae ſtudium exigat ut in ordinem quendam multiplex illa medicatio redigatur, quo ſingularum uſus et locus melius aestimentur; videri quidem posſit primâ diviſione disterminari debere curandi rationem variam illam quae fiat extra paroxysmum febrilem, ab iis, quae ſub eodem adhibeantur, curationibus; dum alterâ diviſione disſtinguantur curationes quae ſingulis accommodentur paroxysmorum ſtadiis. Atqui non unâ difficultate premitur talis medicationum diſtinctio et ſejunctio, quam latius exponere hujus non est loci nec temporis.

Facilior ergo, doctrinae nostrae uſuique magis apta nobis viſa est illa distinctio, quâ agatur

1°. de curâ *causſali*, quae et mediata vocari posſit;

2°. de curâ *morbi ipſius*, ſive immediatâ. Quibus

3°. accedere potest cura *ſymptomatum* urgentium, ſive palliativa.

Quae nimirum Indicationum diſtinctio therapeutica, uti ex antiquo, ſed à Recentioribus non emendato, Boerhavii praecepto (*a*), in omnibus morbis attendenda est, ſic et in febribus intermittentibus maxime utilis esſe videtur, dummodo in hâc curationis disterminatione ratio hic inſuper quaedam habeatur non tantum temporis vel apyrexias vel paroxysmi, ſed et diverſorum paroxysmi ſtadiorum.

Ad talem igitur normam, omisſâ tamen curatione ſymptomatum urgentium, ne prolixior fiat disputatio, curationum, de quibus agimus, diverſitatem nunc pro modulo nostro ordinare et expendere animus est.

A. *De Curâ causſali ſive mediatâ.*

§ VIII. Quemadmodum in ceteris corporis affectionibus morboſis, ſic etiam in febribus intermittentibus aggrediendis cura Medici prima in eo verſari debet, ut ſi quae occurrant causſae evidentes adventitiae, vel propiores vel remotiores, è qui-

(*a*) *Inſtit. medic.* Therapeut. §. 1067, 1079—1082.

quibus, ſi non originem, ſaltim pabulum habeant febres, hae auferantur, ſubigantur, eliminentur; ut ſic, ſublatâ illa cauſſâ, tollatur, vel ſaltim mitigetur, ipſa affectio febrilis, curâ, quam vocamus, cauſſali, quae etiam prophylactica dici posſit.

Pro cauſſarum ergò hujus generis adventitiarum differentiâ, diverſae quoque in cenſum hic venire ſolent curandi methodi. Adeoque

1°. Si adfuerit *indigesta* corruptaque *materia* vel *ſuburra* primarum viarum, cum digestione primâ laeſâ, per Indicantia certa cognita, adhiberi ſolet, pro re natâ, methodus, vel

a. *emetica*, vel

b. *purgans*, vel et

c. *digestionem* pravam *corrigens* inertemve *inſtaurans*.

2°. Sin forte peccaverint humorum *visciditas*, organorum *obſtructiones* et *infarctus* cum ſolidorum *torpore*, confugitur ad methodum *reſolventem*, quâ viae impeditae aperiantur, ſecretiones et excretiones reſtituantur. Si denique, quod tamen rarum est,

3°. adfuerit hic *diſpoſitio* utcunque *inflammatoria*, incitata, vel *ſthenica*, haec methodum petit *deprimentem* ſive *antiphlogisticam*.

§ IX. De curâ hâc cauſſali per partes ſingulas agere longum foret, quum etiam ſatis fere habeam provocare ad ea quae Stollius, in aphorismorum Boerhavianorum editione ſuâ, de his curationibus, pro maximâ ſaltim parte, expoſuit (*b*). Addere tamen liceat has animadverſiones:

Primo, de ſordibus primarum viarum, in hoc cenſu, probabilem mihi videri vir. clarisſ. Burſerii et ſpeciatim Hovenii ſententiam, contendentium et egregiè probantium, has ſordes non adeò frequentes esſe cauſſas febrium intermittentium, vel propiores vel

(*b*) Aphor. §§ 444 ſeq. 445. 446. item 439—443. et 437, 438.

vel remotiores, ac quidem vulgò creditur (*c*), easque ſordes utplurimùm febrium potiùs esſe effectus, vel et cum iisdem forte coincidere (*d*). Et profecto ille veteri ſcholarum Galenicarum praejudicio nondùm vacuus videretur, qui etiamnùm hodiè contendere vellet in febre intermittente omni adesſe ſaburram crudam, vel pituitoſam, vel bilioſam, vel atrabilariam, tamquam causſam materialem, imò hanc tamquam causſam proximam conſiderare.

Interim tamen largimur, in febre intermittente dari utplurimùm ſordes primarum viarum, ſive vim habeant causſae participis, ſive effectûs, ſive cum febre coinciderint. Quae ergo ſi turgeant, eliminari viis aptis per idonea remedia debent. Si autem turgeant *ſurſùm*, indicantur *Emetica*; ſin *deorſùm*, *Cathartica* idonea. Signa vero, quibus illa turgescentia ſordium cognoscatur (*e*), non ſatis attentos nec peritos quandoque fallere posſunt, utpote quando turgescentia à febre ipſâ aut et ab abuſu purgantium oriunda ſit. Contrà verò quandoque ſigna illa abſunt, ubi tamen, propinato Emetico, multum corruptae bilis aut pituitae aegri per os reddunt. Sympathia partium nimirum hic etiam non exiguum habet influxum. Etenim, licet prae ceteris notabilis ſit ſympathia linguam inter et ventriculum canalemque inteſtinalem; quam tamen lingua cum cute imò cum pulmonibus alit, ſympathia non est prorſus nulla (*f*).

Egregiam interim utilitatem Evacuantium, praeſertim Vomitoriorum, ex indicatione datorum, nonrarò mirari licuit, quando citò citius febrim fugarint et quaſi fregerint, non ſolum per promotam materiae cujusdam pravae eliminationem, ſed et potis-

(*c*) Burſer. *in Inſtit. Med. Vol. I. Part. I.* §§ 85. 86. *et* von Hoven, *in Verſuch über das Wechſelf. Part. I* §§ 30—42. *Vitoduri* 1789.

(*d*) *Ibid.* §§ 34—47.

(*e*) Stoll. *l. c.* § 444.

(*f*) Vid. Curt. Sprengel, *Handb. der Semiotik*, pag. mihi 156 *ſeq.*

tisſimùm per factam corporis totius concusſionem (*g*). Hinc factum est ut duplici, vomendi puta et commovendi ſcopo (de quo posteriori alibi), propinanda tempore vel apyrexiae, ſaltim abſoluto ſudoris ſtadio, vel paullo ante paroxysmum, laudata ſint Emetica.

Quodſi autem digestio prava, quae vulgò nomine Indigestionis inſigniri ſolet, culpanda hic ſit, praeſertim in conſtitutionibus debilitate diſpoſitis, ſtatim cogitandum est de restaurandis organis digestricibus et chylopoiëticis, ne altiores malum radices agat: nam, uti ſapienter Veteres, vitia primae digestionis ſequentibus non facilè corriguntur. Hinc amovendis quidem ſordibus turgescentibus operam dare, ac

(*g*) Non posſum autem, quin, pro methodi, de quâ agimus, cauſſalis evacuantis utilitate confirmandâ, hic adſcribam recentisſimam Medici apud Roterodamenſes eximii, Doct. H. van den Bosch obſervationem, quam clarisſ°. Geunſio, ab amico hoc integerrimo, olim discipulo diligentisſimo ad ſe perſcriptam, mecum communicare placuit. Scil. in Febribus, cum quotidianis tum maximè tertianis, quae, Roterodami ab aliquo tempore epidemicae, grasſari nondum deſinant, incipientibus cum virium lapſu, cumque vitiatae digeſtionis indiciis, felicisſimum perpetuò curationis ſe habuisſe ſuccesſum ſcribit vir doct., ubi, indicante ſaburrâ, protinus *Tartrit. potasſae ſtibiatae* grana aliquot exhibuerit, inſequente tam largâ materiae pravae non ſurſùm modò ſed et deorſùm rejectione, ut haec una evacuatio ſuffecerit, dum post eam confestim ad vires excitandas curam ſuam converterit; quae, hâc conditione, efficacisſima fuerit in febribus his, adynamiâ nervoſâ reformidandis immò hunc characterem protinus explicantibus, ſi, praeter unam illam primam emeſin, methodo evacuanti [redacted] ulteriùs inſiſtatur; quoniam utique efficaci methodo roborante in his opus ſit, et praeſertim quidem plenâ corticis peruviani adminiſtratione tempeſtivâ, modo praemisſum fuerit Emeticum tantâ hîc laude dignum. Id quod pristinae ill. Stollii commendationis memoriam revocat, ſcribentis: „ damnanda est Praxis, quae adeò mollem medicinam facit, ut numquam Emeticum, utut indicatisſimum, „ propinare audeat, ſed Eccoproticis, veterumque Minorativis, ſaepiùs et per epicraſin datis, morbum, uno emetico jugulandum, „ perſaepè, cum periculo aegri non exigno, in longum trahit, *Rat.* „ *Medendi Part.* I. pag. 52. Edit. Vienn.".

at verò, ope digestivorum, falium mediorum, amaricantium, vinoforum et fimilium, virium digerentium inertiam vel maxime excitare et fuccorum menftruorum efficaciam inftaurare oportet. A cibo infuper gravante abftinere ac diaetâ analepticâ uti, in hoc ftatu adjumentum erit optimum.

§ X. Ad articulum *fecundum* curae causfalis obfervo: fi confideremus in intermittentium plerisque fubesfe videri fuccorum quandam visciditatem, eamque organorum obftructiones vel infarctus cum folidorum torpore facile comitari, liquet, et amplisfimam esfe posfe et faepè debere methodi refolventis utilitatem. Ut meritò illuftrisf. Stollius ftatuat hanc febres intermittentes curandi rationem causfalem ceteris hujus generis multò latius patere, eamque faltim initio, aut folam aut cum aliis junctam, adhibendam esfe (*h*). Nae ergò graviter hallucinari mihi videntur Recentiores isti, qui folis motibus febrilibus refraenandis protinus operam dandam esfe, autumant. Rationales enim Medici praeceperant, etiam longè ante hos Novitios, vires naturae ante omnia esfe fustinendas moderandasve (*i*); fed et probè fciebant obnormen fimùl contentorum temperiem esfe emendandam. Quotidiana autem Experientia docet et Ratio monet, aperientem cum tonicâ excitante methodum faepisfimè jungi debere.

Nec multùm hic quaefitu opus est in felectu medicaminum: celebrata enim remedia refolventia, falia puta media, alkalina, volatilia, femivolatilia, faponacea, amaricantia, amara, gummata ferulacea, utrumque propofitum fcopum, et folido-

---

(*h*) *Aphor.* 443.

(*i*) Quâ de causfâ jam magnus Boerhavius, vitae viriumque confervationem, inter praecepta Indicationum fua, primo loco pofuit vocavitque Indicationem *vitalem;* quam autem *fthenicam* Hodierni dicere malunt. Nos verò hanc cum ceteris Indicationibus asfociari, pro re natâ, posfe putamus. Conf. Boerh. *Inftit. Medic.* Therap. §§ 1067—1094.

dorum torporem excitandi et vias impeditas aperiundi, ferient, atque adeò, si fas sit dicere, unâ eâdemque fideliâ duos dealbabunt parietes. Interim tamen addere itidem liceat:

„ *Est modus in rebus*, *sunt certi denique fines*,
„ *Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*"

Quos autem hic determinare fines, longum foret. Provoco potiùs ad Stollium, qui, ubi prosint, ubi verò noceant laudata Resolventia, et quibus conditionibus, accuratius determinare fategit (*k*). De Resolventium autem in his agendi modo, inter varias Medicorum explicationes, ego quidem, quantum hâc in re videre possum, non alienus sum ab illorum sententiâ qui ponunt, Resolventium vi potissimùm dynamicâ solidorum inertiam excitari, imminutamque vasorum cùm sanguiferorum, tùm lymphaticorum instaurari actionem (*l*), quamvis tamen asserere nequaquàm velim, omnem ubique actionem directè chemicam, animalem tamen, à Resolventium efficaciâ abesse.

§ XI. Transimus jam, *tertio*, ad methodum antiphlogisticam, quam poscat dispositio Intermittentium incitata seu sthenica, considerandam. Quamvis enim rariùs hunc characterem plenum habeant Intermittentes, non tamen habent prorsus numquàm: hunc enim adesse aliquandò posse in corpore juniore, sanissimo, plethorico, athletico, etiam per genium epidemicum, tempore auctumnali aut hyemali, id observationes practicae satis docent: ne dicam de congestione et impetu sanguinis ad caput, de inflammatione locali, de calore nimio, aliisve urgentibus phaenomenis, utpote quae omnia curam deprimentem indicant. Quodsi verò ejusmodi dispositio inflam-

(*k*) *Aphor.* 441. seq.
(*l*) Conferri merentur Doct. J. Vosmaer observ. *de Sympath.* pag. 92. Harderov. 1808.

flammatoria febri fubfit, tunc, etiamfi corticem peruvianum exhibueris, febris tamen non nifi praemisfâ curâ antiphlogisticâ bene cedet (*m*). Conveniunt praecipuè in hoc ftatu potus refrigerantes, falia media mitiora, acida, largo aquae vehiculo fumenda, eccoprotica, clysmata, regimen frigidum; immò etiam fanguinis misfiones in cafu urgente indicantur. Quae verò fi tempestivè adminiftrata fuerint, febris, nifi fic jam fpontè cesfarit, nunc plenè dispelli poterit.

§ XII. Atque haec de curâ causfali ejusque aeftimatione dicta funto; quae quamvis praefertim extra paroxysmum locum fuum inveniat, non tamen numquàm fub paroxysmo, praecipuè quoad ufum aperientium et refolventium, inftitui vel continuari potest et debet. Id quod etiam argumentum praebet contra distinctionem feveram curationis in paroxysmo ab eâ quae extra hunc fiat, uti fuprà (§ 7.) monuimus.

B. *Cura morbi ipfius, feu immediata.*

§ XIII. Nunc ergò accedimus ad curam principalem, quâ morbum ipfum directè tollere conamur, folvendo nimiam ftricturam fpasmodicam periphericam cum reactione internâ infequente, quam nempe alternationem his febribus fubesfe, earumque characterem naturalem conftituere, cum venerando Praeceptore Geunsio asfumimus, quamque fententiam fequenti ca-

(*m*) Sic refert cl. apud Philadelphenfes Medicus Benj. Rush (in *Medizin. Unterfuch. u. Beobachtungen.* Lipf. A°. 1792. pag. 200.) non femel fe vidisfe aegros, asfumptâ fruftrà ingenti corticis peruviani copiâ, à detractione decem vel duodecim unciarum fanguinis, febre immediatè liberari. Similem cafum etiam nuperrimè obfervavit expertisf. in hâc urbe Medicus Wolterbeek, quem mecum amicè communicavit. Aderat nempe in febricitante fanguinis continua ad caput congeftio, dum jam pridem fuppresfa esfet narium haemorrhagia confueta. Inftitutâ autem venae fectione, febris fublata est.

capite paullò magis illuſtrare et confirmare dabitur; dum haec obiter annotasſe ad dicendorum intelligentiam juvabit.

Ergò in conſiderandâ directâ hâc curatione ità procedam, ut agam

1°. de curatione particulari ſeu temporariâ morbi ipſius in paroxysmis ſuis vigentis, praeſertim in ſtadio ejus primo ſive frigoris, vel paullo ante hoc eove adventante: ut ſic deindè

2°. de morbi totius curatione magis univerſali, praeſertim extra paroxysmum, dicere posſim. De his ſingulis jam ſeorſim.

§ XIV. De curâ *particulari* in *ſtadio frigoris* vix opus erit monere, convenire hanc cum curâ *praevertente* et *confundente* Stollii (*n*). Quae ſi ita inſtituantur ut cum ſpasmo peripherico ſtadii frigoris conflictum ineant, tunc, uti inſtantem paroxysmum praevertunt, ſic quoque eundem jam praeſentem posſunt confundere, frangere, elidere. Atque haec ſtadii hujus elidendi methodus jam pridem de meliori notâ commendata fuit. Magnus noſter Boerhavius ejusque commentator illuſtrisſ. Swietenius ſuo jam tempore docuerant: „ quod, qui primum tempus et primam causſam, „ frigus nempe, ſuperare posſit, totum illum paroxysmum „ tollere videretur (*o*)."

Itaque dum phaenomena demonſtrant in frigoris accesſu, vel et paullò ante eundem, fibras, carnes et praeſertim vascula cutanea et ſubcutanea in ambitu corporis poſita, ſpasmodicâ conſtrictione contrahi et cohiberi; rectè utique laudantur remedia quaecunque ſtricturam illam emolliendo vel ſolvendo relaxent, ſive talia extus fuerint admota, qualia ſunt regimen externum modicè et gratè calidum, fomenta et lotiones tepidae unà cum frictionibus blandis cutis, nec non ſpinae dorſi

(*n*) *Aphor.* 447. ſeqq.
(*o*) *Comm.* ad Aphor. 756. Vol. II. pag. 528.

ſi (*p*), item corporis exercitia lenia, viribus adaequata; ſive etiam intus adminiſtrando quae ad cutaneam diaphoreſin diſponant, uti vel maximè potus et medicamina ſimùl data diluentia, aperientia, diaphoretica, cutis ſpeciatim functionem inſtaurantia, excitantia, juncta nonnumquàm ſedantibus, inter quae praecipuè uſus prudens Opii (*q*), ejusque cum Ipecacuanhâ ſociati, juxtà cum frictione ſpinae dorſi, vel et ſuccusſione corporis electricâ (*r*), in centum veniunt. Immò verò ad hunc locum referri etiam poteſt applicatio tempestiva presſionum et ſtricturarum in membris corporis majoribus, ope faſciarum conſtringentium, quâ nimirum, ſanguinis et humorum è vaſis membrorum cutaneis et ſubcutaneis venoſis compulſionem obruentem et moleſtam in cor et vaſa majora corporis interiora cohibendo et ſiſtendo, accesſum febrilem, ad moleſtam hanc irritationem ſenſim inſurgentem aut et jam adventantem, inhibere et frangere datur; quod autem auxilium capite ſequenti de industriâ conſiderabitur. Haec ergò de curâ particulari ſtadii frigoris ejusque effectuum ſuffecerint.

§. XV. In *ſtadio caloris* et *exaestuationis* primùm ſaltim continuanda praecipiuntur laudata modo (§. praec.) remedia, quibus nimirum conſtrictio illa vasculorum minimorum extremorum ulterius ſolvatur, et motus circuitusque humorum ultrà reſtituatur et promoveatur. Si verò calor jam nimius, ſiccus et molestus fuerit, tum cura antiphlogistica indicatur. Tandem *ſtadium ultimum*, quo, prorſus victo ſpasmo peripherico, materia perſpirabilis, anteà retenta, nunc autem in ſudorem aucta, pleno rivo per cutim eliminatur, utplurimum nîl

---

(*p*) Conf. Doct. Kuyper, disſertatione *de frictione ſpinae dorſi* Traject. A°. 1784. pag. 15. ſeqq.

(*q*) Conf. cl. Lind *Diseaſes of Europ. in hot climat.* Append. à pag. 339. ad 347. et ſpeciatim Hecker Kurzer Abrisz der *Therapie.* pag. 250. ſeq. Berol. A°. 1807. (*r*) Lind. Ibid. p. 172. Edit. Gall.

nîl nisi regimen jam laudatum (§. praec.), paullulùm moderatum imminutumque, et medicationem subindè analepticam, leniter excitantem, indicat. Hactenus de curâ perticulari.

§. XVI. Nunc igitur ordine hic sequitur considerandâ *cura* morbi ipsius magis *universalis* (§.13.), quae, secundum Stollium (*s*) caussae proëgumenae potissimum opposita, vestigium illud Swietenii, systemati nerveo impressum, deleat; nos autem potiùs dixerimus, quae spasmodicam affectionem, peripheriam inter et interiora corporis alternantem, tamquam caussam febris hujus continentem, tollant vel solvant. Hâc ratione etiam Stollio nervina, aliis antispasmodica dicta est haec curandi methodus.

Quae autem hic in censum venire possunt, remedia commodè in classes tres distribui posse nobis videntur.

Prima classis comprehendat auxilia quaecunque, vires vitales instaurando, spasmum febrilem ferè praeveniant: qualia sunt nutrimenta eupepta, analeptica. Forsan et huc referri possit usus Gelatinae, quae nuperioribus his annis, praesertim à Gallo-francis, tantoperè depraedicata est, acsi ipsum quoque corticem peruvianum supplere posset. Etenim, quaecunque ejus sit efficacia antipyretica, haec certè nutrienti et instauranti, quâ utique pollet, virtuti deberi nobis videretur.

Altera classis contineat remedia excitantia Tonica, praesertim amara puriora, amaro-salina, amaro-acriuscula et amarescentia plurima, qualia largâ copiâ benefica ubique exhibet Natura. Ad *amara puriora* referimus Gentianam, Simarubam, Centaureum minus, Columbo, Trifolium aquaticum, Polygalam amaram, Quassiam; ad *amaro-salina* verò Carduum benedictum, Fumariam, Marrubium album, Cichoreum, Taraxacum, scorsoneram, Hederam terrestrem, Arnicam montanam; ad *amaro acriuscula* denique Helenium sive Enulam, Serpen-

(*s*) *Aphor.* 452.

pentariam virginianam, Cascarillam, Abſynthium, Abrotanum, Chelidonium majus et glaucium, Millefolium, Chamomillam vulgarem et romanam, et ſimilia, quae omnia cum vi ſtimulante tonicâ etiam ferè aperientem et reſolventem conjungunt.

Tertia tandem *clasſis* complectatur remedia, titulo magis ſpecificè febrifugorum celebrata, adſtringentia puta ſive Tonica roborantia, quae ferè cum qualitate ſenſibili amareſcente ſubaromaticâ conjungunt auſteritatem quandam ſubadſtringentem: qualia habentur imprimis Cortex peruvianus ejusque vicaria; de quibus, quoniam potisſimùm noſtram attentionem merentur, paucis videamus.

§. XVII. Certe in Cortice peruviano, justo tempore, aptâ doſi, idoneâ formâ et praeparatione, justisque conditionibus dato, princeps remedium et optimum inter ſpecifica antifebrilia agnoscere oportet. Interim, rariores, quam communis fert opinio, esſe putamus febres, quae uſum hujus corticis poſtulent prorſus necesſarium. Quodſi adeò Medici divinitùs illud quaſi misſum remedium ad illos tantùm caſus reſervarent, quibus aliud quodpiam vices ejus obire prorſùs non posſit; non foret ut hoc tempore de Corticis boni paucitate et pretio adeò quereremur.

Quum ergo prudenter incedere oporteat in uſu Corticis peruviani determinando, paucis hujus administrationis delibabimus conditiones.

§. XVIII. Cortice peruviano non est quod uti dubitemus,
1°. Si quem curandum ſuscepimus febricitantem, tempore praeſertim auctumnali gravius febre plecti videamus;
2°. Si adſit asthenia univerſalis cum ſolidorum laxitate et humorum tenuitate inerti;
3^{io}. Si adfuerint ſymptomata valde gravia eaque vitae periculum minitantia, uti ſunt ſomnolentia asſidua et ſopor ſub frigoris accesſu, ſpecie comatis, cari, vel et apople-

xi -

xiae (*t*). Etenim nisi tum ilicò, vel saltim antequam vi morbi virtutem remedii jam superatam esse, è signis exitiosis constiterit, obicem motui febrili, ipsum encephalum jam adorienti, posuerimus, morbi impetu victus prosterneretur aeger. Si denique

4°. morbus aliquamdiù duraverit (nam omnem statim febrem tollere nec datur, nec licet), aut si, sublatâ licet omni causâ, paroxysmus tamen, propter periodicam, universo corpori pertinaciùs inhaerentem, affectionem spasmodicam, continuò recurrat et revertatur; tunc utique Cortex in usum vocari vel et continuari debet.

§. XIX. Usum verò Corticis contraindicant et vetant, saltim eundem temperare suadent, nisi aliud alia indicaverint:

1° molestae quaecumque sordes primarum viarum quae priùs eliminationem postulent;

2°. Congestiones sanguinis praesertim ad caput, diathesis ejusdem inflammatoria; quâ nimirùm praesente, ab usu Corticis periculum esse, ne febris in continuam vertatur aut et inflammatio topica inducatur, Practici monent (*u*).

3^{io}. Prouti sudor colliquans usum Corticis aliquandò requirit, ità etiam eundem recusat continua sudoris carentia in paroxysmi fine.

4°. Pertinaces denique viscerum abdominalium obstructiones sive infarctus Corticem ferè interdicunt, saltim cum cautelâ adhibendum suadent.

Hac-

(*t*) Collatu hic perquam dignas esse puto Observationes *de febribus praecipuè intermittentibus*, quas ante hos sexaginta et quatuor annos conscripsit illustrisſ. P. G. Werlhoff, insertas operibus ejus medicis, quae collegit et auxit cl. J. E. Wichmann, speciatim sect. 3. § I. pag. 106, seqq.

(*u*) Reil, in opere suo praeclaro: *Ueber die Erkenntniss und Cur der Fieber. Besondere Fieberlehre.* T. II. cap. 2. § 51. pag. 166, aliique.

Hactenùs de praecipuis conditionibus et cautelis in usu Corticis determinando, ab Auctoribus practicis stabilitis, quae tamen, uti facilè quisque perspiciat, non omnes ejusdem sunt valoris et observantiae. Adeò verum est, quin aliquid demas, regulam non dari. Atque haec obiter attigisse sufficiat. Ut nunc ad propositum nostrum redire possim.

§. XX. Quoniam autem febres intermittentes, praecipuè quotidianae et quartanae, maximè pertinaces et refractariae aliquandò esse possunt, ut soli Corticis usui auscultare renitantur, jam pridem Medicis solenne fuit alia huic remedia adjicere. Accedit quod et alioquin nimium in hisce febribus dispendium pretiosi illius medicaminis fieri necesse esset. Cui autem aliquo modo ut parcerent, juvantia addiderunt. Ne dicam de combinatione Magnesiae albae cum Cortice peruviano, aut et de aliis plurimis; paucis abhinc annis magnam famam, etiam apud Nostrates (v), accepit mixtura quaedam ex pulvere Corticis peruviani et Tartrite potasfae stibiatâ cum Syrupo quodam subactâ q. s. ut fiat electarium; quod primùm commendaverat cl. apud Gallofrancos Medicus Rich. de Hautesierck (w). Alii, etiam recentiori tempore, à combinatione Corticis cum Muriate Hydrargyri oxydulati, Burserio item laudatâ (x), effectum optatissimum in febribus refractariis quartanis observarunt (y). Et nuperrimè doctisf. Brocx, Medicus nostras, denuò jam pridem laudatam efficaciam Sulfatis aciduli Aluminae, Cortici pe-

---

(v) Conf. Disput. chemico-medica *de combinatione Cort. peruv. cum Tart. emet.*, Auctore doct. C. J. Luchtmans, defensa Trajecti ad Rhenum. Ao. 1800.

(w) In *Recueil d'observations des hôpitaux militaires*. Paris. Ao. 1766.

(x) In *Instit. Medic. pract.* Vol. I. pag. 259.

(y) Uti videre est apud Hufelandum, in *Journal der praktischen Heilkunde*. Tom. III. pag. 182.

peruviano nupti et formâ pulveris exhibiti, confirmavit (z). Alii alia laudaverunt auxilia (a).

§. XXI. Nec omittere hoc loco posſum de praecipuis Corticis peruviani ſurrogatis quaedam delibare. Scil. praeter varias ejusdem ſpecies, nuperioribus temporibus commendatas, praeſertim Corticem peruvianum rubrum virtute excellentem, regium ſeu flavum, caribaeum, communem ſeu fuscum et denique corticem Angusturae, ſubindè laudata ſunt: cortex Salicis (b), Hippocastani, Caſcarillae (c), Fraxini excelſioris, Quercûs, Caeraſi, Taxi baccatae, Liriodendri tulipiferae (d), Geum urbanum, Datisca cannabina (e), Calamus aromaticus (f), et alia plura remedia merè amara, ſubaromatica vel et adſtringentia, quorum efficacia, ſi opus ſit, ope juvantium, uti Cascarillae, vel corticis Aurantiorum, vel ſucci Catechu, aut et Opii, Valerianae & ſ. p. augeri potest. Hisce tandem remediis è Regno vegetabili petitis accedunt Remedia mineralia, qualia ſunt Acida Reichii (g), Sulfas acidulus Aluminae, Sulfas Ferri, Cupri, Zinci (h), Sulfuretum Oxyduli Stibii hydrogenatum (i), Ferrum cum pulvere Myrrhae nuptum (k); ut de Arſenico, aliisque plurimis taceam, quae, tam-

(z) In *Hedendaagſch. Vaderl. Biblioth.* An. 1809 No. 4. *Mengelwerk.* pag. 157 *ſeqq.* Ibidem ſcribit doct. Brocx, ſe pulveres ex ſolo ſulfate acidulo aluminae, cum idoneis juvantibus combinato, multo cum ſuccesſu in febribus intermittentibus adhibuiſſe.

(a) Conf. Reil, l. c. T. II. Cap. 2. § 51. pag. 174.

(b) Conferri hùc meretur Disſert. *de Cortice Salicis albae ejusque in Medicinâ uſu, experimentis et obſervationibus ſtabilito*, quam, moderante clar. Van Geuns, Ao. 1778. in lucem emiſit Doct. P. Koning.

(c) In *Hed. Vaderl. Bibl.* 1808. No. 16. *Mengelwerk.* pag. 710.

(d) Conf. Willdenow *Botanik*, pag. 368. Berol. 1804.

(e) In *Medizin. National Zeitung.* Novemb. 1798. pag. 345.

(f) *Hed. Vaderl. Bibl.* 1808 No. 2. *Mengelwerk.* pag. 62.

(g) *Vom Fieber und desſen Behandlung überhaupt.*

(h) Conf. Duncan *Annals of Medecine for the year* 1797.

(i) Vide Unzer, *der Arzt*, pasſim.

(k) *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* T. VI. pag. 579.

tamquam maligna pharmaca et periculofae plena aleae (*l*), mitto, quum et magis explorata et fecuriora auxilia, largâ fatis copiâ, benigna largiatur Natura.

Interim tamen, quaecunque fit omnium illorum Remediorum vis febrifuga, quam determinare non velim nec posfim; certo certiùs conftat, post facta viris clarisfimis Stonio, Günzio Lipfienfi, Koningio, aliisque tentamina et obfervationes, corticem Salicis praecipuè albae inter cetera Corticis peruviani Vicaria et Succedanea indigena vi fpecificè antipyreticâ praeminere. Et testari posfum, plus femel hujus corticis efficaciam me confirmatam vidisfe in Nofocomio academico nostro, praefertim ubi cum cortice Cascarillae aut cum Calamo aromatico combinatus fuerat: ita ut, nullo interpofito Corticis peruviani ufu, febres cesferint. Et profectò, quandò valdè laudabile indigenam habemus remedium antipyreticum in cortice Salicis albae, equidem non video, cur ad alia multa confugiamus.

§. XXII. Nunc demùm, in confideratione Curae Febrium intermittentium directae, restat ut verbo de remediis quibusdam externis agamus. Quo fcilicet nomine hìc indigitamus remedia nervina ftimulantia, uti frictiones diligentes praecipuè fpinae dorfi cum linimento quodam nervino volatili (*m*), fomenta et balnea aromatica calida (*n*), vefícatoria necnon irritantia alia, etiam ad carpum admovenda (*o*). Fortè ad hunc locum referri posfint Curationes per animi pathemata fortiora percellentia, uti

(*l*) Conf. meretur Amici integerrimi B. F. Suerman disfert. inaug. *de ufu Arfenici medico*, quam proximè in lucem edit, Cap. 4. §§. 44 & 45.

(*m*) Quâ de re datâ operâ egit. Doct. Kuyper, disf. inaug. *de frictione Spinae dorfi.* pag. 15.

(*n*) quae laudavit Doct. von Schallern, in *Salzb. Mediz. Chirurg. Zeitung*, N°. 26. An. 1798.

(*o*) Defuper conf. Rush, in *Medizin. Unterfuch. und Beobachtungen* pag. 199.

uti per terrorem, iram, effufum gaudium, item vim imaginationis et attentionis exaltatam, immò per plenisfimam de bono eventu fiduciam, per amuleta denique aliave hujus farinae remedia fympathetica.



Postquam praecedentia typis jam commisfa erant, clar. Van Geuns ulteriorem notabilem obfervationem, pro confirmandâ methodi causfalis emeticae utilitate (§ 9. Nota *g*), à laudato Doct. van den Bosch denuò ad fe perfcriptam, amicè mecum communicavit. Scilicet in Febribus intermittentibus, quae etiamnum, fed minùs frequenter Roterodami grasfantur, bis recidivam fe vidisfe refert Vir doctisf., idque in convalescentibus quibus, ante Corticem datum, Emeticum fupra laudatum non exhibuerat; quibus autem quandò nunc Emeticum illud ftibiatum propinaverat (quo larga materiae pravae copia, furfùm primò, dein deorfùm, ejecta et porrò fudores provocati fuerunt), et deinceps Corticem administraverat, plena contigit et fine novâ recidivâ fanatio. Quales certè fideles obfervationes vim et efficaciam Emeticorum praefertim ftibiatorum, in multis faltim Intermittentium Epidemiis, confirmare egregiè mihi videntur.



Caput

Caput secundum.

DE CURATIONE FEBRIUM INTERMITTENTIUM QUAE FIT MEMBRA CORPORIS MAIORA LIGAMINE CIRCUMSTRINGENDO, DEQUE EIUS ADHIBENDI ET AGENDI MODO.

§. XXIII. Quandoquidem homines in cognoscendo lentis et fuccesfivis pasfibus, experientiâ duce, rerum illâ magistrâ, faepè fortuitò progrediuntur; id certè in Re medicâ, utpote prae ceteris ab experientiâ originem ducente, manifestisfimum est. Hominum enim valetudo, etiam in ratione vivendi fimplicisfimâ et naturae convenientisfimâ, quamplurimis expofita est nocumentis, ad quorum effecta, id est morbos, fortuitò fe obtulerunt et empiricè adhibita funt remedia, quorum adhibendi modum et vim agendi fimilibus in cafibus experti arbitri idonei, ulteriùs haec animo fuo volvendo et perpendendo, confirmaverunt.

Luculentum hujus rei exemplum habemus in Remedio febrifugo fimplicisfimo, per ftricturam membrorum majorum, quod ad Febrem intermittentem fistendam et confundendam maximoperè commendavit et ante non multos hos annos cum publico primus communicavit experientisf. Chirurgus navalis Britannus George Kellie (*p*).

§. XXIV. De hujus autem Remedii administratione ultrà conftat, jam ocius eam nostris in regionibus apud vulgum innotuisfe tanquam benè efficax remedium antipyreticum. Refert enim idem Obfervator (*q*), A°. 1793, appellente quâ ve-

---

(*p*) De quo refertur in *fammlung auferlef. Abhandl. für prakt. Aerzte*, T. XVII. part. I. pag. 78, feqq. Lipfiae A°. 1796.

(*q*) Ibid l. c.

vehebatur navi ad urbem nostratem Wilhelmopolin, eo tempore à Gallofrancis obsessam, plurimos è classiariis et militibus febribus intermittentibus levioribus correptos fuisse, eosdemque, brevi post assumptum Corticem peruvianum haustumque spiritûs frumentacei juniperati, facilè convaluisse; eodem autem tempore ex naviculario (*lootsman*) se resciisse, ipsi, aliquandò febre quartanâ, eâque vehementiori frigore invadente perque plures durante menses, laboranti fortè fortunâ obviam fuisse vetulam quae sibi Remedium hoc, quod efficeret ut frigoris accessus ilicò sisteretur ipsaque febris sic elideretur, revelaverat. Administratio autem haec erat, ut ante accessum frigoris circa brachium dextrum et femur sinistrum fasciae tam arctè circumvolverentur, ut sanguinis refluxus sub ligaturis egregiè cohiberetur.

§. XXV. Quod etiamsi feliciter sibi cessisse, in ceteris febris accessibus arcendis, navicularius assevėraret, parum tamen fidei haec medela apud Kellium nostrum obtinere primùm potuit, donec, paucis post diebus, institutum bono successu hujus administrationis tentamen in classiario febre tertianâ laborante, attentionem ejus et curiositatem ulteriùs allexerit. Ut adeò exindè plura de industriâ instituerit experimenta spem conceptam non fallentia, utque, repetitis frequenter his tentaminibus, in quibus ad efficaciorem membrorum constrictionem, fasciarum loco, torcularibus chirurgicis utebatur, viderit, nunc quinto nunc sexto post apposita torcularia horae minuto, frigoris accessum terminari, adeoque nullum ampliùs de remedii efficaciâ dubium habuerit, nec potuerit idem tamquam verè efficax febrifugum non commendare: quamquam tamen, quae Viri ingenui est modestia, ulterioribus observationum periculis reliquerit determinare et demonstrare, quousque horum eventus ad perficiendam notitiam curationis et naturae Febrium intermittentium illustrationem inserviturus sit. Prius enim fieri posse, in sequentibus, ut spero, patebit; nec minùs posterius, quum utique, confu-

si-

sionem paroxysmorum, ad Febrem invadentem factam, jam pridem magni habitam usuque confirmatam fuisse, praecedenti capite indicaverim (§. 14.).

§. XXVI. A quo dein tempore membrorum haec constrictio inter Medicos utcunque innotuit, facta hìc illìc videntur ejusdem plura pericula, quae etiam efficaciae Remedii confirmandae inservierunt: sic nimirùm inter Britannos clarus Chirurgus Veitch, ex Kellii consilio, strictūram membrorum in Febribus intermittentibus instituit bono cum successu, viditque frigus perpetuò cessavisse tertio à factâ constrictione horae minuto (r). Medicus porrò Confluentinus Doct. Wallich annotavit eâdem se operâ felicissimè usum fuisse (s). Immò etiam inter Nostrates, fausto eventu adhibita, haec curandi methodus de meliori notâ commendata est (t). Et reverà effectum hunc non esse imaginatione effictum, plus semel mihi in Nosocomio nostro academico videre licuit, ubi jussu et ductu Professoris Clinices, venerandi Geunsii, instituta haec administratio feliciter cessit, licet non tam brevi temporis spatio, ac quidem Kellius et Veitchius viderint. De quibus autem tentaminibus postremo capite dissertationis nostrae ex instituto referam.

§ XXVII. Attamen curandi hanc methodum, membra corporis majora ligamine constringendi, novam prorsus non esse, ex Historiâ medicâ discimus; quamquam et Febrium typus, et scopus, quo hujusmodi medicatio fieri solebat, quodammodò differant: idquod obiter hìc monuisse sufficiat. Sic enim suo jam tempore immortalis Boerhavius, ejusque Commentator illustris Swietenius, levem brevemque venarum compressionem,

(r) Uti refertur in laudatâ collectione *Sammlung auserles. Abhandl.* l. c. pag. 82.
(s) In *Medizin. Nationalzeitung.* Mense Julio. A°. 1798. pag. 440. seqq.
(t) In *Letteroefeningen*, N°. 5. An. 1808. *Mengelwerk.* pag. 187. seqq.

nem, alternatim nunc in brachiis, nunc in femoribus, in stadio caloris, ope fasciarum, instituendam et post dimidiam horam solvendam, laudaverunt (u), ut, siquandò calor febrilis nimiùm quantùm aegrum vexaret et veluti suffocaret, his mitigaretur, praesertim ubi, post repetitas etiam sanguinis missiones, nimius molestusque calor renascebatur, tantaque jam sanguinis copia subtracta erat, ut, absque vitae discrimine, venae sectiones ulteriùs repeti non posse viderentur.

§. XXVIII. Hucusque de historiâ stricturae membrorum, ejusdemque efficaciâ in accessu frigoris febrilis confundendo. Nunc paucis de adhibendi et agendi modo videamus. Monuimus jam (§. 25), ad constringendas magìs magìsque corporis extremitates, Kellium adhibuisse torcularia chirurgica, ipsâ febris accessione, vel paullò ante instantis stadium ejus primum. At fasciae linteae satìs fortes, quibus in Nosocomio nostro academico uti solemus, eundem prorsùs attingere possunt scopum: et, propter applicandi et relinquendi facilitatem, torcularibus praeferendae nobis visae sunt. Ne dicam de timore quem instrumenta chirurgica hominibus nonnullis incutiunt. Et quid opus est instrumentis istis, ubi ligamina simpliciora suffecerint? Addo, venas solas hìc constringendas esse, non arterias, quas tamen torcularia imprimis comprimunt. Quodsi igitur membrorum constrictionis curae subjiciendus sit aeger, praemissâ leni, si fortè opus fuerit, catharsi, jubetur die febrili grabatum suum servare, ibique febris paroxysmum praestolari. Hanc autem jamjam instare, symptomata praegredi solita, lassitudo, dolores quidam capitis, dorsi, lumborum, aliaeque molestiae indicabunt. Quo statu, proximè ad axillam circa brachium alterutrum et femur oppositi lateris prope inguen, vel etiam ad eum locum, cui, in amputatione cruris, supra genu, torcular applicari solet, circumstringantur fasciae, quam arctè id aeger fer-

---

(u) Conf. *Aphorism.* 691, et *comment.* in hunc locum. T. II. p. 307.

ferre ſatìs commodè potuerit; cavendo interim, ne nimìs adſtrictae fasciae profundiùs quàm venae ſitas arterias comprimant. Tali enim ſtricturâ fortiore, quem attingere nitimur, ſinis, ſi non penitùs, partìm certè, irritus fieret. Fasciae autem ad minimum per ſex horae minuta, quandoque diutiùs, per horae etiam quadrantem et quod excurrit, ſi non priùs cedat paroxysmus, relinquantur, nec ociùs tollantur, oportet. Quam administrationem ſi, fortè inſequentibus frigoris febrilis accesſionibus, diligenter repetamus, videbimus, paroxysmos, ſi non prorſùs cesſantes, mitiores tamen et breviores fieri et ſic ſenſim imminui. Quâ ratione, etiam non dato Cortice peruviano, remedia amaro-ſalina, leniter tonica, ſolventia vel aperientia vulgò dicta, febris abactionem adjuvare ſolent. Addimus autem, ex conſilio doctisſ. Wallichii (v), in frigoris accesſu ſi aeger à potu calido abſtinuerit, frigidum verò in ſtatu caloris adhibuerit, haud parum hinc emolumenti capi posſe. Atque haec de adhibendi modo dicta ſuffecerint.

§. XXIX. Ut autem ſtricturae membrorum agendi rationem, in confundendo ſistendoque Febris paroxysmo, utcunque intelligamus; ex probabili prae ceteris, uti nobis quidem videtur, Febris theoriâ, ab illustri Fr. Hoffmanno asſertâ et ulteriùs extricatâ (w), cui calculum ſuum, cum aliquâ ſaltìm mo-

(v) Conf. l. c. *Medizinische Nationalzeitung.*

(w) In *Medic. rat. ſystemat.* IV. part. I. Proleg. *de Febr. naturâ* §§. 3. 4. et 6. et pluribus locis aliis. Scilicet, ante H. J. Regam (*De Sympathiâ*, Cap. XII. pag. 138. Edit. An. 1739), Boerhavii vestigiis (*Aphor.* 581 et 583.) inſiſtentem, celebrem itidem Belgam, celebratisſimus Fr. Hoffmannus de induſtriâ monuit, duplicem in Febre motum asſociari, primum qui fluida vitalia compellat à corporis peripheriâ ad centrum, ſive interiora, in ſtadio frigoris, alterum verò, qui hunc proximè ſequitur, oppoſitum, qui nempè à centro ad peripheriam, ſive corporis exteriora, vergat. Horum autem motuum, quorum concurſus Febrem conſtituat, causſam fundamentalem ſive formalem, ipſi dictam, quaerendam esſe ſtatuit in ſpasmodicâ univerſi generis nervoſi et fibroſi affectione, quae ſuccesſivè ab exterioribus ad in-

modificatione, adjicere non dubitavit Praeceptor aestumatissimus noster Geunsius, adduxisse juvabit: frigus, gravissimum illud symptoma, quo febris vim suam naturae inimicam exserit, exhibere stadium constrictionis spasmodicae periphericae, quo, constrictis violenter vasculis fibrisque cutaneis et subcutaneis, sanguinis flumen quà data via compellatur in venas majores, ipsum jam cor mole suâ impediturum et oppresssurum, nisi sua sibi constiterit Naturae vis et robur, ut, provocatâ, ex conflictu cum hoc hoste, reactione et exaestuatione, spasmum illum periphericum superet et vincat. Quae si rectè perpendantur, perspicietur quid, injecto artubus ad frigoris accessum ligamine, fiat. Quum enim vascula venosa magìs versus exteriora seù corporis peripheriam sunt posita, quàm arteriosa, impedietur hâc constrictione cutaneâ, quò minore copiâ et impetu in majores venarum truncos, ad cor tendentes, sanguis possit refluere, neque adeò tantâ molestiâ cor ipsum obruere, illudque in justo frequentiores et vehementiores contractiones ciere, libero intereà sanguinis arteriosi à corde in extremitates affluxu.

Quantum autem usum habeant ejusmodi ligaturae membrorum corporis majorum, in exorbitante sanguinis, à peripheriâ ad interiora corporis compulsi, flumine sistendo, docent etiam Haemorrhagiae, quae injecto itidem ligamine inhiberi quandoque solent. Et, si porrò à simili inductionem efformare liceat; valdè notabilem ligaturarum utilitatem videmus apud Epilepticos, quibus quandoque, cum sensu formicationis, ab artuum extremis incipientis, sicque, sensim adscendendo, ipsam arcem syste-

interiora tendat, et è medullâ spinali maximè procedat; quod ultimum nos viro illustri relinquimus. De hâc Febris theoriâ, Naturae veritati maximè, non verò adeò celeberri. Culleni opinioni (*Prim. Lin. Prax. Med.* Cap. II. à §. 32. ad §. 47.), consentaneâ, ulteriùs conferri merentur quae hâc de re disputavit diligentissimus olim Geunsii nostri discipulus, doctiss. Paullus Feriet, in Disquisitione inaugurali quâ *Febris natura et caussae Recentiorumque, imprimis* Culleni, *sententiae expenduntur*. Harderovici, A°. 1785.

tematis nervei impugnantis, aura veluti frigida inſtantem mox paroxysmum annunciat: qui tamen, injectâ quantociùs, ſupra formicationis locum, ligaturâ, non raró arceri et ſisti viſus est (*x*). Quin immò et leves brevesque crurum ligaturas, venis majoribus determinatas, apud Apoplecticos profuisſe legitur, ſolas venas comprimendo, non arterias, adeoque impetum ſanguinis verſus caput imminuendo (*y*).

§. XXX. Atque haec (§ praec.) pulcherrimè cum nostrâ Febris ejusque curationis, de quâ agimus, theoriâ convenire, et ad eandem confirmandam et illuſtrandam inſervire posſe putaverim. Febrem enim quum, bonâ ratione edocti, asſumimus, ſpasmodicâ invadere affectione univerſi corporis, potisſimùm vasculorum minimorum; in ejusdem peripheriâ ſitorum, conſtrictione et frigore cutaneo ſe manifestante, docentibus id omnibus in frigoris ſtadio phaenomenis; pronum est concludere, inductam ope ligaminum, eliſionem et confuſionem paroxysmi febrilis contingere debere per ſpasmi primi febrilis cohibitionem illam et disſipationem.

(*x*) Ad hunc locum conferri merentur quae habet illustris Swietenius, *Commentar.* T. III. pag. 423. ibid. 433.
(*y*) Ibid. pag. 297.



Caput tertium.

DE NOSTRIS FEBRES INTERMITTENTES, PER MEMBRORUM MAIORUM CIRCUMSTRICTIONEM, CURANDI TENTAMINIBUS, RELATIO, CUM PAUCIS COROLLARIIS.

§ XXXI. Superest denique tertium, idque imprimis momentosum, propositi nostri (§. 4.) pensum, quo de curationis, proximo capite expositae, efficaciâ, factis autem in Nosocomio academico nostro tentaminibus exploratâ, jam referam. Scilicet, à quo tempore relatio de Febrium intermittentium, per membrorum majorum circumstrictionem, curatione (§. 23.) ad notitiam paucos ante hos annos pervenit clarisſi. Van Geuns, medendi hic modus, ob rationes modò expositas, Praeceptoris' allexit attentionem, censentis, ne anilia quidem, siquid boni polliceantur fructûs, remedia vilipendenda, at potiùs, datâ opportunitate, rectè explorari digna esse. Itaque cum Discipulis communicatâ hâc administratione suâque de eâdem opinione, tentamina curationis hujus, in Nosocomio nostro, non ità multò pòst institui Vir clarisf. curavit. Sic priores mox describendae, tempore isto et proximè insequente, enatae sunt observationes, quae, etiamsi non protinus ad plenam praecepti normam, ob administrationis insolentiam, administratae fuerint, eventus tamen talis fuit, ut ad novas, idoneo tempore academico, hujus generis administrationes denuò instituendas Praeceptorem aestumatissimum compelleret. Quum ergò operam hanc, comitatu Medici academici, expertisſimi Wolterbeek, avidè et ad institutum meum appositè, in me susceperim, de nuperioribus his Observationibus nostris, post priores à Medico academico ex Nosocomii nostri Diario benevolenter mecum communicatas,

annotata etiam mea exhibeo, Corollaria addens pauca, de iis quae ex tentaminibus his omnibus in Artis usum hactenùs disci posse mihi visa sunt, speranti fore, ut haec quoque, utpote à juvene, arte faciendâ nondùm exercitato, profecta, Artis Peritorum animo accipiantur benevolo.

OBSERVATIO I.

A°. 1806. Mense Aprili.

Jan Elias, viginti annorum, corporis constitutione sanus, gracilis tamen, nativitate Trajectinus, vitae genere Miles. Post febrem intermittentem, anno superiore aliquamdiù passam, vixit benè sanus, donec, post versationem in aëre humido et frigido, à Martio Mense nupero, febre denuò correptus, Nosocomio receptus est.

Febris typo tertiana, minùs regularis, mox quartana, denuò tertiana. Extra paroxysmum sat benè valet, at alvus tardior, digestio non optima; quibus medicatione congruâ emendatis, mansit tamen febris tertiana, frigore et tremore vehementi pertinax, nec solventibus, tonicis, excitantibus vel quicquam cedens. Ergò fit

Die 16. *Aprilis* tentamen primum circumstrictionis, ad febrem adventantem applicatae, perque paroxysmum ferè relictae, at sine effectu notabili.

Die 18. febris accessus solitus. Circumstrictio praetermissa.

Die 20. horam ante accessum nunc applicata circumstrictio. Sub accessu frigus vix notabile et horror levis, pulsu liberiore, minùs incitato.

Die 22. circumstrictio tempestivè administrata. Hodiè, die *febrili*, febris non observata, pulsus perpetuò moderatus, liber, sine celeritate. Ceterùm benè valet, appetit, dejicit, alvo tamen duriore: at, indè à die 17, *apyreto*, horroris et frigescentiae insolita quaedam sensatio. Et

Die 23. aliàs *apyreto*, accessus febrilis, regulariter per tria sta-

ſtadia decurrens, apparuit, idque maturiùs ſolito, decurſu ab horâ matutinâ IX. ad IV. pomeridianam.

Dies 24., aliàs *febrilis*, nunc ſine omni febre. Circumſtrictio facta tempestivè.

Die 25., aliàs *apyreto*, nunc febris accesſus, ſimilis ſolito. Circumſtrictio facta, ùt heri.

Die 26. *febrili*, nulla febris.

Die 27. *apyreto*, febris accesſus ferè ſolitus: horror minor, frigus moleſtum, calor et ſudor ſoliti.

Die 28. *febrili*, ſine ullâ febre, palleſcens tamen, reliqua benè.

Die 29. *apyreto*, febris accesſus ab horâ X. ad IV., frigus minus, brevius, deſinens in calorem et ſudorem. Circumſtrictio denuò facta.

Die 30. *febrili*, nulla obſervata febris.

Die 1. *Maji*, *apyreto*, horâ X. matutinâ febris, at mitior in omnibus ſtadiis et citiùs deſinens.

Die 3. *apyreto*, eâdem horâ ac nudiustertiùs, accesſus febrilis, multò tamen mitior et brevior. Circumſtrictio facta.

Die 5. *apyreto*, horâ IX. accesſus febrilis, mitis et ſine horrore.

Die 6. *febrili*, benè valet. Jam, experiundi et obſervandi causſâ, non ulteriùs applicabuntur conſtrictiones, neque dabuntur febrifuga ulla vera.

Die 7. *apyreto*, ferè ùt nudiustertiùs, immò vix ulla moleſtia. Scabies autem ultrò erumpit.

A die 8. ad 11. benè habet, immò optimè, levis tamen ſubindè febricitatio. Ceterùm nulla moleſtia: at ſcabies ulteriùs ſe prodit.

A die 12. ad 15. omni febre liber, habitu omni emendato et valente rectè. Ad ſcabiem nunc demùm, ut è Noſocomio demitti queat, Linimentum antipſoricum et pulveres mites.

Notanda quaedam ad hanc Obſervationem.

1°. A quo tempore et quoties circumſtrictio applicata rectè fuit,

fuit, accesſus febriles miteſcere incepere et ſenſim, tertio die febrili, ſilere. Ità verò,

2°. ut, ferè ab initio, diebus apyretis accesſus febriles primùm veluti minari viſi ſint, posteà verò prodere febrem veram, à priſtino die febrili transpoſitam in diem apyretum pristinum.

3io. Transpoſiti etiam hi accesſus conſtrictionibus ſensìm ſensìmque cesſerunt, et ſiluerunt ad quintam ferè circumſtrictionem, accesſibus utcunque anticipantibus, cum miteſcentiâ.

4°. Nocivi effectus nulli ab hâc circumſtrictionum adminiſtratione obſervati hìc videntur.

5°. Tempus applicationis cujusvis ante effectum non notatum.

6°. Cedente et ſilente ſensìm febre, ſuppresſum, uti videtur, exanthema ſcabioſum indies magìs magìsque propullulare coepit.

OBSERVATIO II.

A°. 1807. Menſe Aprili.

Antony van Emmerik, 23. annorum, corporis conſtitutione ante ferè perpetuò ſanus, habitu tamen gracilis, ſtaturâ ſatìs ſubitò in longitudinem extenſus, ſubindè narium haemorrhagiae obnoxius, nativitate Trajectinus, vitae genere Onerarius.

A refrigerio, valdè aeſtuante et ſudante corpore, perſpiratio cutanea ſuppresſa, hinc febre laborans intermittente, à Martio Menſe in Noſocomium asſumptus.

Febris typo primùm tertiana, mox quotidiana, minùs regularis, denuò tertiana qualiscunque. Extra paroxysmum ſat benè valens, alvus tamen tardior.

Medicationi generali, ſolventi, tonicae, excitanti Febris non multò pòst cesſit, donec, post liberum aliquot dierum intervallum, accesſus improviſò redierint febriles, iique nunc quotidiani, repetitis ſolventibus, amaro-tonicis, excitantibus nequicquam cedentes. Ergò fit

Die

die *febrili principali*, 25. *Aprilis*, in hoc homine, valdè attenuato et pallido à diuturnitate morbi, eodemque ad sudorem maximè proclivi, tentamen primum circumstrictionis, ad febrem adventantem institutae, perque paroxysmum ferè totum relictae.

Ab horâ matutinâ XI. cum quadrante ad XII. frigus solito multò brevius; pulsus item minùs contractus, sine notabili celeritate. Post febrim sudor copiosus; hinc languor et debilitas universalis.

Die 26. *febrili intercidente*, antehàc *apyreto*, febris admodùm brevis, horâ dimidiâ post I. pomeridianam adveniens. Circumstrictio facta tempestivè.

Die 27. *febrili principali*, circumstrictio denuò administrata. Horâ post X. dimidiâ frigus brevissimum, plenus mox calor et sudor denuò valdè copiosus.

Die 28. *febrili*, anteà *apyreto*, febris accessus horâ I. pomeridianâ levior, frigus vix ullum, nec pulsûs acceleratio manifesta, sudor nocturnus copiosus. Circumstrictio instituta fuit tempestivè.

Die 29. *febrili principali*, horâ XI. matutinâ accessus febrilis, at mitior in omnibus stadiis et citiùs desinens; pulsus vix acceleratus, nec multùm contractus. Sub febre aliqua tussis et oppressio pectoris. Circumstrictio applicata.

Die 30. *febrili*, antehàc *apyreto*, denuò circumstrictio, tempestiva. Vera febris non observata, nisi levior circa horam pomeridianam VI. molestia lumborum, cum aliquâ horripilatione, citò in sudorem terminatâ.

Die I. *Maji*, *febrili principali*, horâ pomeridianâ I. accessus febrilis mitis, frigus vix ullum, sudor autem copiosus. Circumstrictio facta.

Die 2. *febrili*, aliàs *intercidente*, nulla febris observata. Circumstrictio tempestivè administrata.

Die 3. *febrili principali*, horâ ipsâ meridianâ, levior accessus febrilis, horripilatione levi, molestiâ aliquâ lumborum,

cephalalgiâ, tussi siccâ cum respirandi quâdam difficultate, se prodens, mox verò in sudorem largum terminatus.

Diebus 4. 6 *et* 8. *apyretis*, benè, immò optimè, habet, ceterùm uti die 2. Maji.

Diebus 5 *et* 7. *febrilibus*, aliqua levior febris, uti die 3. Maji.

Die 9. *febrili*, uti praec. diebus. Injectae tempestivè ligaturae. Horâ v. pomeridianâ levissimus accessus febrilis; ceterùm optimè valet.

Jam, experiundi caussâ, circumstrictiones non ulteriùs fient, nec remedia nisi, quae anteà jam data erant, solventia, tonica, excitantia dabuntur.

A die 10. ad 15. *Maji*, nulla prorsùs febris. Habitu corporis emendato, rectè valet, benè appetit, dejicit, nocte minùs sudat; attamen superstes aliqua tussis. Ad tussim nunc demùm, ut Nosocomium relinquere possit, leniter demulcentia porriguntur.

Notanda quaedam ad hanc Observationem.

1°. A quo tempore febris tertiana, qualis erat initio, quotidianae formam nacta est, accessus ejus mitiores fuêre. Ità verò,
2°. ut accessus febris intercidentis mitiores brevioresque esse visi sint, quàm febris principalis.
3^{io}. A quo autem tempore ligaturae quotidiè injectae fuêre, accessus febriles magìs magìsque mitescere, et sensìm prorsus silere. Ità tamen,
4°. ut accessus intercidentes febriles jam ad tertiam constrictionem, principales autem saltèm ad octavam, siluerint.
5°. Febris intercidens planè aliam, quàm febris principalis, toto morbi decursu, servavit periodum, utraque ùtplurimùm postponens, cum mitescentiâ.
6°. Quantò magìs indies frigus febrile, post circumstrictionem, imminuebatur, tantò copiosior subsequi hìc sudor observabatur.

7°.

7°. Nocivi effectus nulli, ab hâc administratione, in hoc aegro observati videntur.
8°. Tempus applicationis ligaturae cujusvis, ante effectum observatum, non notatum est.
9°. Denique notandum, à quo tempore (Mense Martio) in Nosocomium assumptus fuit aeger ad morbi usque finem copiosius in urinâ sedimentum observatum fuisse.

OBSERVATIO III.

A°. 1808. Mense Majo et Junio.

Philip Bormans, 24. annos natus, corporis constitutione satis robustus, firmusque, cholericus, nunc autem oris colore minùs sano, flavescente tunicâ oculi albugineâ. Natione Gallo-brabantus, vitae genere famulus cerevisiarius.

Post versationem, uti videtur, in aëre humido et frigido, febre, a Martio Mense nupero, laborans intermittente, Nosocomio receptus est.

Febris typus quotidianus, primùm satis regularis, posteà minùs. Frigoris accessus, isque valdè vehemens et diuturnus, nunc anticipans nunc postponens, initio utplurimùm morbi non insequuto calore qui frigori responderit, nec ullo sudore. Extra paroxysmum sat benè habet, lingua pura, appetitus naturalis, nulla alvi tarditas, sordes nullae. Idcircò, dùm nihil contraindicaret, factum est,

die 29. *Maji*, primum statim circumstrictionis tentam en diù ante febrem adventantem administratae, perque bihorium et quod excurrit relictae. Frigus ab horâ IX. ad X., calor non notabilis, sudor tamen post febrem solito copiosior.

Die 30. frigus semihorâ tardiùs adveniens, per horam mite, cum sensatione ingratâ membrorum majorum et tremore levi. Febris ceterùm per omnia stadia citiùs decurrit. Circumstrictio denuò facta.

Díe 31. febris eodem tempore ac heri, at majore ſymptomatum vehementiâ: frigus vehementius, calor major, et ſudor post febrem largus. Circumſtrictio applicata.

Die 1. *Junii*, horâ matutinâ VIII. facta iterùm circumſtrictio; horâ IX. aliquis dolor capitis, molestia lumborum aliaque ſymptomata praegredi ſolita; febris autem vera non niſi horâ circiter XI: frigus ferè nullum, cum levi tremore, mox calor cum pulſu admodùm duro et tenſo; reſpirandi difficultas et tusſis valida, cum febre decreſcente ſensìm cesſantes.

Diebus 2. 3. 4. ſesquìhoram ante febris accesſum inſtitutae circumſtrictiones. Febris iterùm horâ circiter XI., frigus mite et admodùm breve, pulſu ſaltem parùm contracto. Calor verò moleſtus, ob tusſim praeſertìm vehementem et ſiccam cum perpetuâ reſpirandi difficultate et anxietate. Pulſus valdè durus et celer; post febrem ſudor copioſus, at ab aegro, aëri aperto citiùs ſe exponente, neglectus. Indicatur V. S., craſtino die inſtituenda.

Die 5. praeter exhibitam mixturam refrigerantem, demulcentem, inſtituta horâ matutinâ x. ſanguinis misſio Unc. ſex; ſanguis misſus, brevi post misſionem, maximam partem notabili pelle phlogisticâ tectus; ſerum parcum, flavescens. Circumſtrictio hodiè praetermisſa. Febris minùs regulariter decurrens, calor autem citò adveniens, cum aliquâ ſymptomatum inflammatoriorum miteſcentiâ. Circa vesperam larga ſponte naturâ haemorrhagia narium, repeti jusſam V. S. praevertens. Haemorrhagia interim, per noctem proximam usque in primum mane ſequentis diei, protracta, itaque enormis, ut arte cohibenda viſa ſit.

Die 6. pectus magìs liberum, at vertiginis ſenſus et languor, pulſus debilis, facies aliquantùm collapſa. Febris autem vera hodiè non obſervata.

Die 7. horâ matutinâ III. accesſus febrilis. Frigus ſolito validius, post frigus calor et ſudor prorſus enormis, cum pulſu pacato, non celeri, nec duro. Debilitas ingens, dolor in in-

inſpirando, ferè ad ultimam coſtam veram lateris ſiniſtri, et tusſis ſicca remanent; ad quam demulcentia et lenientia data.

Diebus 8. 9. 10. 11. *et* 12. ab omni febre prorſus liber; respiratio facilis, tusſis minor, expectoratio nulla; appetitus bonus, alvus regularis, omniumque ſymptomatum imminutio, ſtatum reconvalescentiae indicant. Quo ſtatu, Noſocomium clàm deſeruit homo: ità ut de ulteriore eventu non conſtiterit.

Notanda quaedam ad hanc Obſervationem.

1°. A quo tempore et quoties circumſtrictio benè adminiſtrata fuit, accesſus febriles ſensìm mitescere coepere: ità ut
2°. ad octavam circumſtrictionem ferè prorsùs cesſerint et ſiluerint, uno ſaltìm accesſu, ſat valido, adhuc inſequuto, dum praegresſi fuerint postponentes, et ſimùl mitescentes.
3ᶦᵒ. Quantò magìs indies frigus febrile, à factâ circumſtrictione, imminuebatur, tantò copioſior ſubſequutus est ſudor.
4°. Nocivi effectus nulli à circumſtrictione hìc obſervati ſunt.
5°. Ligamina tamen hìc paullò diutiùs relicta fuisſe videntur.
6°. Porrò notandum hìc videtur, in ſtadio frigoris, cùm ante, tùm etiam post circumſtringendi tentamina, manifestam extremitatum praeſertìm inferiorum frigescentiae ſenſationem fuisſe, dùm reliquum tamen corpus rectè caluerit.
7°. Denique notamus, hâc etiam Obſervatione confirmari, curam antiphlogisticam in Febre intermittente quandoque esſe necesſariam. Conf. quae plura §§. 8. et 11. animadvertimus.

OBSERVATIO IV.

A°. 1808. Menſe Majo et Junio.

Gerrit Schryver, juvenis plebejus, 16 annorum, corporis conſtitutione ſanus, gracilis tamen, nativitate Trajectinus.

Aestuante et valdè ſudante corpore manifestam perspiratio-

 nis

nis cutaneae suppressionem passus, ab initio Maji febre laborans intermittente, in Nosocomium assumptus est.

Febris typus est tertianus, valdè irregularis. Extra accessum febrilem rectè quidem valet homo, cum indiciis tamen malae digestionis pravaeque in primis viis collectae materiae, quibus autem medicatione congruâ emendatis et depuratis, mansit tamen febris tertiana. Ergò fit,

die 30. *Maji*, *febrili*, tentamen primum circumstrictionis, horam ante febris accessum administratae, perque bihorium ferè relictae. Horâ matutina xi½ febris solito mitior, brevis; frigus per unam circiter horam mite, calor modicus, et sudor post febrem blandus.

Die 31. *apyreto*, horâ pomeridianâ III. ab omni febre non prorsus liber; aliqua saltìm pulsûs acceleratio. Ceterùm benè valet, appetit, dejicit.

Die 1. *Junii*, *febrili*, febris accessus, at mitior, breviorque solito, decursu ab horâ ferè XII. ad III.; frigus vix ullum, calor et sudor placidi. Circumstrictio denuò instituta horam ante accessum.

Die 2. *apyreto*, ab omni immunis febre, benè habet.

Die 3. licet *febrili*, nulla tamen febris observata. Circumstrictio facta tempestivè.

Die 4. *apyreto* nulla febris, benè valet.

Die 5. *febrili*, circumstrictio tempestiva. Horâ matutinâ x. aliqua lassitudo et sensus frigoris febrilis, brevioris autem et citò in calorem desinentis; post febrem sudor largior usque ad horam pomeridianam IV.

Die 6. *apyreto*, sine omni febre, optimè valens.

Die 7. *febrili*, accessus admodùm irregularis, ab horâ matutinâ III. ad XII.: frigus solito majus, per horam, mox desinens in calorem longiorem; sudor tamen non notabilis. Propter anticipationem paroxysmi febrilis, hodiè circumstrictio administrata non fuit.

Die 8. *apyreto*, post largam hâc nocte sudationem, hodiè nulla molestia. Scabies autem jam sponte erupisse observatur.

Die

Die 9. *febrili*, praetermisſa circumſtrictio. Horâ VII. matutinâ accesſus febrilis, at perquàm mitis perque omnia ſtadia citò decurrens.

Die 10. *apyreto*, à meridie aliqua frigoris et caloris alternatio, levior breviorque, cum dolore capitis et molestiâ lumborum. Scabies autem prodire pergit.

Die 11. *febrili*, horâ matutinâ VIII½ febris mitis et ſine horrore; ſub frigore autem aliqua nauſea et vomituritio, extra paroxysmum non obſervata. Semihoram ante febrem adventantem facta erat circumſtrictio.

Die 12. *apyreto*, ſat benè habet, excepto aliquo languore.

Die 13. *febrili*, horâ matutinâ VIII½ accesſus febrilis mitis, frigus vix ullum, calor et ſudor non notabiles. Jam, experiundi et obſervandi cauſſâ, non ulteriùs applicabuntur fasciae, nec medicamina exhibebuntur antipyretica ulla vera.

A *die* 14. *ad* 21. omni febre liber, et, habitu prorſus emendato, optimè habet. Ad ſcabiem nunc demùm congrua exhibentur remedia, ut è Noſocomio dimitti queat. De ulteriori eventu nîl annotatum.

Notanda quaedam ad hanc Obſervationem.

1°. A quo tempore et quoties circumſtrictio rectè inſtituta fuit, accesſus febriles mitescere incepere et ſensìm à tertio die febrili ſilere. Ità verò,

2°. ut, diebus apyretis, ſubindè accesſus veluti febriles ſe efferre viſi ſint; donec

3io. omnes demùm accesſus, nunc postponentes, nunc anticipantes, ſensìm ſensìmque cesſerint et ſiluerint, ad ſextam ferè circumſtrictionem.

4°. Nocivi effectus ab his circumſtringendi tentaminibus obſervati hìc non videntur.

5°. Attamen tempus cujusvis deligationis diutiùs protractum fuisſe videtur.

6°.

6°. Fractis denique sensim febris viribus, suppressa pridem, uti videtur, scabies veluti è latibulo magìs magìsque prodire coepit.

OBSERVATIO V.

A°. 1809. Mense Majo.

Andries Lawen, Juvenis 20 annorum, constitutionis tenerioris et gracilis, narium haemorrhagiae subindè obnoxius; nativitate Trajectinus, vitae genere opifex aerarius.

Hucusque hic benè sanus vixerat, donec, post versationem in aëre humido et frigido, tempore vespertino denudato aestuante et sudante corpore, simùlque diaetae errorem, à die 28. Aprilis nuperi, febre correptus intermittente Nosocomio receptus est.

Febris typus tertianus, minùs regularis, mox quotidianus, denuò tertianus. Tempore apyrexias satìs benè habens; at dolor adest in fronte subindè obtusus, pertinax, digestio item non optima, lingua veluti bysso flavescente obducta. His autem vitiis medicatione idoneâ emendatis, mansit tamen febris tertiana, frigore et tremore vehemente perque bihorium durante pertinax, cum pulsu debili, maximè contracto, respiratione difficili et anxiâ, dolore capitis ingenti et tinnitu aurium, medicationi solventi, excitanti, tonicae nequicquàm cedens. Institui igitur ipse,

die 12. *Maji*, *febrili*, tentamen primum circumstrictionis, ad ipsum accessum febrilem, cum frigore et tremore concutiente, vehemente, horâ matutinâ IX. invadentem, applicatae, perque horae minuta sex relictae. Abhinc frigus perceptum vix notabile, mite per horam, calor intensus cum siti magnâ, sudor autem post febrem copiosus ad horam usque II. pomeridianam.

Die 13. *apyreto*, horâ matutinâ X½., inopinatìm febris se prodit intercidens; frigus vehemens per bihorium circiter, dein calor, at tanto frigori non respondens; sudor autem largus ad horam

ram usque II. pomeridianam, pulsu aequabiliore, minùs incitato, capite magìs libero. Ceterùm benè habet, appetit, dejicit. Ob inexspectatum hodè febris adventum, circumstrictionem administrare non potui.

Die 14. *febrili principali*, horâ matutinâ IX½ febris mitis cum levi horripilatione, vix ultra ¾ horae durante, calor solitus, at sudor solito copiosior usque ad horam pomeridianam I½, pulsu liberiore, sine celeritate. Nunc ipso accessu febrili denuò factum tentamen circumstrictionis, per minuta horae duodecim relictae.

Die 15. *febrili intercidente*, aliàs *apyreto*, iterùm accessus febrilis, ùt nudiustertiùs, at mitior, horrore levi per horam, calore intenso et sudore copioso ad horam usque II. pomeridianam, pulsu tamen aequabiliore. Circumstrictio, uti heri, tempestivè administrata fuit.

Die 16. licet *febrili principali*, nullum tamen febris indicium, bonâ valetudine. Propter febris absentiam circumstrictio hodiè non facta.

Die 17. *febrili intercidente*, horâ matutinâ X½, adventante denuò febre, ligaturae injectae, perque horae quadrantem relictae. Frigus vix ullum, brevissimum, mox calor, et sudor insequens copiosus.

Die 18. *febrili principali*, accessus febrilis mitissimus, ùt heri. Circumstrictio tempestiva, per ¾ horae relicta. Jam, experiundi et observandi gratiâ, ratum mihi visum est à ligaturis prorsus abstinere, neque ulla remedia nisi solventia, tonica, excitantia adhibere, seu potiùs continuare.

Die 19. *febrili intercidente*, vix ulla febris; benè habet.

A die 20. *ad* 24. *Maji*, rectè se habet homo; levis tamen subindè febricitatio. Ceterùm nulla molestia, nisi dolor aliquis ventris continuus et plurimus de nocte sudor.

A die 25. *ad* 31. *Maji*, omni febre liber, optimè se habet habituque corporis emendato et restitutâ bonâ digestione, benè sanus Nosocomium reliquit.

Notanda quaedam ad hanc obſervationem.

1°. A quo tempore et quoties circumſtrictionem applicuî, accesſus febriles mitescere incepere et ſensìm, tertio die febrili, ſilere. Ita verò

2°. ut, ſtatim ab initio, diebus apyretis, accesſus febriles non modò annunciare ſe viſi ſint, ſed et prodere febrem veram, posteà à pristino die febrili transpoſitam in diem apyretum pristinum.

3^io At transpoſiti hi etiam accesſus brevi circumſtrictionibus cedere, immò ſilere viſi ſunt omnes, ad quintam ferè circumſtrictionem, postquàm accesſus nunc postpoſiti, nunc anticipantes fuerint, cum mitescentiâ.

4°. Quantò magìs indies frigus febrile, post circumſtrictionem, imminuebatur, tantò largior ſubſequutus est ſudor.

5°. Nocivos ab hâc administratione effectus non obſervavi ullos.

6°. Tempus applicationis ligaminum ſensìm protrahendo, effectum quoque febrifugum manifestiorem fuisſe notavi.

OBSERVATIO VI.

A°. 1809. Menſe Majo.

Jan Lorette, Juvenis 21. annorum, conſtitutionis ſatìs firmae, ſtaturâ autem, incremento praecoci, in longitudinem extenſâ, nativitate Trajectinus, vitae genere Nauta.

Post febrem quartanam, dein quotidianam, ante paucas hasce hebdomades, aliquamdiù pasſam, remediis idoneis tandem ſuperatam, vixit benè ſanus, donec, post refrigerium ſubitum, febre denuò correptus intermittente ſub finem Menſis Aprilis, Noſocomio asſumptus est.

Febris typus primùm quotidianus, ſatìs regularis, mox tertianus, denuò quotidianus qualiscunque.

Extra paroxysmum ſat benè habet; ſenſus tamen tenſionis

et

et rosionis circa umbilicum, sub febre auctus, cum acidâ subindè regurgitatione. His vitiis medicatione congruâ emendatis, mansit tamen febris tertiana, frigore diuturno et tremore vehementi pertinax, nec medicinâ solvente, tonicâ, excitante vel quicquam cedens. Feci igitur,

die 11. *Maji febrili*, tentamen primum circumstrictionis, apparentibus instantis jamjam febris prodromis applicatae, perque horae minuta sex relictae, cum bono effectu. Etenim horâ pomeridianâ II., h. e. mox à circumstrictione, frigus mite per horam, calor vehementior solito, et sudor post febrem largus usque ad horam V.

Die 12. antè *febrili*, nunc *apyreto*, sine omni febre benè habet.

Die 13. *febrili*, ferè ùt nudiustertiùs. Accessus febrilis mitior, sine horrore, calor et sudor soliti. Circumstrictio denuò ad febrem adventantem administrata perque decem horae minuta relicta.

Die 14. *apyreto*, circa vesperam vaga aliqua horripilatio, citò evanida. Ceterùm hodiè benè habuit.

Die 15. *febrili*, paullò ante accessum febris, injeci ligaturas, easque per horae quadrantem reliqui. Iterùm horâ pomeridianâ II. febris, mitissima tamen in omnibus stadiis et citiùs decurrens, at nocte hâc plurimus sudor.

Die 16. *apyreto*, benè habet; horâ III. tamen lenissima quaedam febricitatio, mox evanida. Circumstrictio non facta.

Die 17. *febrili*, horâ III½. pomeridianâ accessus febrilis, ferè ùt nudiustertiùs; at sudor copiosus ad horam circiter VII. usque. Circumstrictio tempestivè, ut antè, administrata est. In posterum jam praetermittentur circumstrictiones, neque ulla exhibebuntur febrifuga vera.

A die 18. ad 24. *Maji*, nulla febris; ne levissima quidem horripilatio vespertina, nisi bis terve, alternis primis diebus à praetermissâ circumstrictione, at nunc medicationi tonicae, excitanti mox cedens.

A die 25. ad 31. *Maji*, omni febre liber, habitu corporis

 pror-

prorſus emendato, ſatìs benè valet: attamen, antequam è Noſocomio dimitteretur, per dies adhuc aliquot uſu leniter excitantium, tonicorum amarorum perrexit, ut organa digestionis debiliora roborarentur.

Notanda quaedam ad hanc obſervationem.

1°. A quo tempore et quoties ligaturas applicui, accesſus febriles mitescere coepere et ſensìm prorſùs ſilere. Ità verò
2°. ut, ferè ab initio, diebus apyretis, accesſus febriles levisſimi, veluti intercidentes, ſe prodiderint.
3^{io}. Intercidentes etiam hi accesſus unà cum principalibus, ad quartam ferè circumſtrictionem, ſiluerunt, accesſibus ſenſim postponentibus cum mitescentiâ.
4°. Quantò magìs quâlibet circumſtrictione frigus febrile imminuebatur, tantò copioſior ſubſequutus est ſudor.
5°. Nocivos effectus ab hâc administratione hìc denuò non obſervavi ullos.
6°. Tempore circumſtrictionis ſensìm prolongato, effectum etiam fuisſe vidi manifestiorem.

OBSERVATIO VII.

A°. 1809. Menſe Majo.

Martinus van Royen, juvenis 20. annos natus, conſtitutionis firmae et robustae, nativus ex ditione Rheno-Trajectinâ, vitae genere lotori famulans.

Hactenùs benè ſanus vixerat, donec, post manifestam perſpirationis cutaneae ſuppresſionem et diaetae ſimùl errorem, ab initio hujus Menſis Maji, febre correptus intermittente, Noſocomio receptus est.

Febris typo quotidiana, toto morbi decurſu valdè regularis.

Extra paroxysmum ſatìs quidem benè ſe habet: at lingua fla-

flavedine obsita, animaque perquam foetida, nec non digestio prava sordes primarum viarum indicare videntur. His autem indicantibus medicatione idoneâ sublatis, mansit tamen febris, eaque quotidiana, quae, horâ ipsâ meridianâ invadens, cum tremore et frigore vehementi, concutiente, perque trihorium durante, decurrit, calore et sudore non adeò notabilibus. Experiundi ergò causâ, ipse institui,

die 22. *Maji*, tentamen primum circumstrictionis, ad febrem adventantem horâ XII. applicatae, perque horae quadrantem relictae: frigus nunc fuit mitius per bihorium ferè perstans, dein calor solito vehementior, et sudores copiosi, ad horam usque IV. pomeridianam desinente febre.

Die 23. frigus adhuc mitius; ceterùm decursus febris idem ac heri. Circumstrictio facta tempestivè, perque viginti horae minuta relicta.

Die 24. tempestivè injectis, relictisque per semi-horam ligaturis, frigus mitissimum, sine horrore, vix ultra unam perstans horam; calor solitus, et sudor largus ad horam usque IV. pomeridianam, pulsu aequabiliore, minùs incitato.

Die 25. ultimum tentamen circumstrictionis, adventante horâ XII, ùt heri, febre, applicatae, perque paroxysmum ferè relictae. Frigus brevissimum mitissimumque, calor solitus; at sudor copiosus ad horam usque III½ pomeridianam.

Diebus 26. et 27., horâ XII., vagae aliquae horripilationes per horae quadrantem. Ceterùm benè habet.

A die 28. *Maji* ad diem 4. *Junii*, omni febre liber fuit homo, habituque corporis emendato rectè jam valuit. Attamen, antequam Nosocomium reliquerit, per dies adhùc aliquot usum amarorum, tonicorum, excitantium, continuavit.

Notanda quaedam ad hanc Observationem.

1°. A quo tempore et quoties circumstrictionem applicui, accessus febriles mitescere incepere et sensìm prorsùs silere. Ità ut

2°. Accesſus febriles, perpetuò regulares, ſiluerint ad quartam ferè circumſtrictionem.
3^io. Neque hìc nocivos ab hâc adminiſtratione effectus obſervavimus ullos.
4°. Tempore applicationis cujusvis indies magìs protracto, effectus etiam ſequuti ſunt manifestiores.
5°. Quantò magìs indies frigus febrile imminuebatur, tantò largior ſubſequutus est ſudor, qui ante circumſtringendi tentamen ferè nullus hìc adfuerat.

COROLLARIUM

CONSECTARIORUM EX OBSERVATIS ET NOTATIS NOSTRIS.

I. In eâ, de quâ egimus, membrorum majorum circumſtrictione utique valdè efficax adverſus febres intermittentes invenitur Remedium, quo interpoſito, aliorum non tantùm Febrifugorum ſimùl adhibitorum efficacia adjuvetur et promoveatur, ſed quo, etiàm ſolo adminiſtrato, febres hae ſaepè depellantur. Conf. *Obſſ.* I. *Notâ* I. II. 3. III. I. 2. IV. I. V. I. 6. VI. I. 6. VII. I. 4.

II. Febres non tantùm tertianae ſimplices, ſed et duplices, vel et quotidianae ſic depelli viſae ſunt. *Obſſ.* I. ad VII.

In quartanis hanc curationem tentandi opportunitas hactenùs mihi defuit.

III. Tempus quo applicari, ſpatiumque per quod relinqui debeant ligaturae conſtringentes, est utique ad paroxysmi febrilis adventum, perque totum etiàm frigoris ſtadium usque in calorem ſequentem jam plenum: ità tamen ut paullò diutiùs protracta applicatio effectum utique non imminuere viſa ſit. *Obſſ.* III. *Notâ* 5. IV. 5. V. 6. VI. 6. VII. 4.

Sci-

Scilicet spasmum periphericum non protinus cum calore adventante totum sublatum esse, docent aliae observationes, praesertìm de Opio in ipso Febris decursu dato, methodo Lindii.

IV. Haec Febris depulsio, utut temporaria et ad paroxysmum praesentem solum sistendum efficax fore videri posfit: vidimus tamen efficaciam se etiàm diffudisse in paroxysmos sequentes, utpote qui, etiamsi jam prorsus omissae fuerint ligaturae, sensìm cessaverint et defierint. *Obsf.* I. *Notâ* 1. 3. II. 1. 3. III. 1. 2. IV. V. VI. 1. 3. VII. 1. 2. Ut credas, infracto sic semel spasmo febrili, dispositionem spasmodicam ipsam simùl infringi, undè habitus periodicus febrilis suâ veluti sponte deteratur et pereat.

V. Paroxysmi autem hi sic dissipari visi sunt, ut, uno alterove accessu sensìm mitiore facto, febris recedens periodum ferè servarit tertianam. *Obsf.* I. IV. V. *Notâ singularum* 1.

VI. Accidit nonnumquàm, ut ab initio hujus depulsionis paroxysmi febriles vel duplicentur, interlabente novo febrili accessu, eoque ex lenissimo in valdè notabilem porrò et principalem increscente; vel ut omnis, silente pristino, accessus transponatur à die hucusque febrili in diem apyretum, donec novi hi accessus eâdem administratione etiàm facilè fugentur. *Obsf.* I. IV. V. VI. *Notis singularum* 2. 3.

Repetendumne hoc videatur à seminii vel dispositionis febrilis periodicae vi et efficaciâ pertinaciore, utpotè quae, die suo proprio cohibita, jam postridiè caput efferre laboret?

VII. Ut plurimùm circumstrictionem applicatam sequi observatur calor et aestus solito major, desinens in sudationem largissimam. *Obsf.* II. *Notâ* 6. III. 3. V. 4. VI. 4. VII. 5.

Nonne à Naturae reactione salutari, post cohibitum spasmum periphericum inimicum, jam liberiore et efficaciore factâ?

VIII. Ex omnibus autem his observatis confirmari abundè videtur anteà expositus curationis hujus agendi modus et ratio, utpotè quâ, idoneis conditionibus administratâ, spasmo peripherico inimici stadii febrilis primi cohibito, ipsa, hoc stadio provocanda, febris mitescere et silere debeat (§. 29.).

IX.


IX. Nullas autem consequutiones sanitati corporis nocivas vel infestas ex hâc administratione fluxisse, omnes nostrae docuisse videntur observationes (I. 4. II. 7. III. 4. IV. 4. V. 5. VI. 6. VII 3.)

X. Scilicet, in nostris his febribus sic depulsis nulla obstiterunt vitia, hanc depulsionem contraindicantia, nihìl quod salutarem in his febribus vim et efficaciam agnoscere, adeoque febrem non tollere juberet. Talibus enim in casibus equidem probè edoctus sum, vel febres apto regimine sibi relinquere, vel vitia quae festinatae huic depulsioni, sivè in solidis, sivè in fluidis, in functionibus naturalibus, horumve consequutionibus, tamquàm causae morbificae obstiterint, prudenter amovere et studiosè emendare, sivè id fiat ante depulsionem, sivè et sub eâ, quod et subindè factum à nobis hìc esse annotavimus. At verò, in depurandi et emendandi isto studio, peccari etiàm posse, meum non est ut hìc moneam.

XI. Quid autem in corporibus malè sanis à febrium, pro salutaribus habitarum, cohibitione tali exspectandum veniat, id aliae docere debebunt observationes.

XII. Quandò tandem in tentaminibus nostris omnibus sequuti fuimus praeceptum (§. 24.), ligamine circumstringendi non nisi unam extremitatem inferiorem unamque superiorem; quaeri posset, anne magìs efficax, prompta et plena futura sit febrium harum depulsio, si non modò duae sed quatuor singulae circumstringantur extremitates? — Videtur quidem ad graviores et pertinaciores febres, veluti quartanas, et quidni ad omnes intermittentes, et forsan remittentes, periculum valdè minitantes, vel maximè pertinere haec consideratio.

Atqui ad talia et alia tentamina nova ansam dedisse nobis jam sufficerit, qui stilum hìc ponimus.



PROPOSITA AD DISCEPTANDUM VARIA.

I. Medicina *est* Ars, *quatenùs verſatur in ultimo ſuo fine, vitae puta hominum ſanitatisque conſervatione et morborum curatione rectâ et prudente.*

II. Scientia *verò est* Medicina, *quatenùs, quae ad ſcopum illum attingendum faciant, disciplinas, ex principiis quasque ſuis deductas, vinculoque arcto inter ſe nexas, benè tenet et comprehendit.*

III. *Variae autem Doctrinae medicae partes duabus principibus* — Anthropologiae *et* Iamatologiae *clasſibus comprehendi commodè posſunt.*

IV. *Non ſatìs est hominum tantùm corpus conſervare, ſed etiàm ſtatum et affectiones mentis quantumpotè regere oportet.*

V. *Limites* Phyſiologiam *inter et* Pathologiam *determinati non facilè conſtituuntur.*

VI. *Somni causſa proxima in nimiâ debilitatione vel exhauſtione vis animalis cerebri quaeri posſe videtur.*

VII. *Sanguini reapſè inesſe* principium *quoddam ſui generis* vitale, *asſumimus, nec tamen negandum, firmarum corporis partium vim vitalem ad humorem illum catholicum vivum conſtituendum, perficiendum et alterandum plurimam conferre partem.*

VIII. *A* Reilii *et* Hufelandi *partibus ſtamus, quandò contendunt, partium* Incirabilitatem *aequè qualitativè ac quantitativè (ſit venia vocum barbariei) peccare posſe.*

IX. *Errant* Brunoniani *contendentes*, Stheniam (*robur*) *simùl cum* Astheniâ (*debilitate*) *in eodem corpore adesse non posse.*

X. *Nec Sthenia universalis nec universalis Asthenia morbum constituere nobis videtur.*

XI. *At sublatum hâc de caussâ functionum aequilibrium morbus dicendus est.*

XII. *In morborum naturâ rectè aestimandâ non solùm ad caussas adventitias et morbi symptomata, sed et ad corporis praedispositiones seù seminia est respiciendum.*

XIII. *Indicationem gastricam, quae dicitur, summi saepè, in morbis curandis momenti esse asserimus.*

XIV. *In quâ tamen Indicatione valdè appositum mihi videtur clarisf.* Max. Stollii (*Aphor.* 841.) *monitum: „ cautus sis in Emeticis et Purgantibus propinandis, iterandis, ne signa saburrae fallacia habeas pro veris."*

XV. *Qui prudenti variolarum vaccinarum insitioni se opponunt, praejudiciis, uti videtur, occupati, malè certè consulunt generi humano.*

XVI. *Qui praematuro labore litterario et disciplinarum studio tenellos puerorum, corpore potiùs exercendorum, animos defatigant, eorundum corporum robur irreparabili noxâ ferè deterunt.*



AAN MIJNEN GELIEFDEN

VRIEND

W. R. VAN BAERLE,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT DOCTOR
IN DE GENEESKUNDE.

Op den XXXI van Hooimaand A°. MDCCCIX.



Verloren is het bloesfem leven,
Waar ieder dier en plant en fteen,
Een God door d'adren voelde beven,
Zoo vaak des Hemels fakkel fcheen.
De gruwbre dieren die thans loeijen,
Elkaar verdelgen in het woud,
Zag men als kindren zamen ftoeijen
En dartlen in het fcheutig hout.
De zee, bezield met meergedrogten,
Werd tot een bed van ftille rust,
Men zag in hare kromme bogten
Geen Krokodil op bloed belust.
Een citertoon, door Orpheüs handen
Gebragt aan 't fmachtend dierenoor,
Deedt 't hart in reine liefde branden,
Zoo bij het Vee, als Vogelkoor.
Elk takje ftrekte met verrukken
De groene handjes naar het licht,
Der bloemen hoofdjes zag men bukken
Voor Titan's bontgekleede wicht.
Men zag de rots in vreugde zweven;
Zij boog het hoofd voor Orpheüs néér;

Zij

Zij voelde een nieuw, aanminnig leven;
In hare fteeds beperkte fpheer.
Geen ziekte kon de rust verftoren
In die *Geheelheid* van het *Al*:
Elk fchepfel werd geftaag herboren
Zoo op den heuvel als in 't dal. —
Daar, waar geen wanklank zich kan vormen,
Blijft alles in het evenwicht;
Hoe zeer ook d'elementen ftormen,
Heitreedt weêr alles in het licht.
Harmonisch blijft ja fteeds het leven,
Dat *aan*, en flechts *voor zich* beftaat,
Dat naar geen vreemde kracht wil ftreeven,
Noch 't oog op het verfchijnfel flaat.



Zoo waren de eerste kinderdagen,
Door blinde *zinlijkheid* verftoord,
Die 't *Geestenlicht* niet kan verdragen,
't Geen op den kruin der wijsheid gloort.
Een geest bezielde 't hooge wezen
Aan ieder fchepfel ingelegd,
Dat uit de fchepping opgerezen
Zich minlijk aan den Schepper hecht.
Des werelds poort was niet gefloten
Voor hem die *Eigenkennis* hadt:
Hij vroette en zocht fteeds onverdroten,
En vondt Cijbeles rijkfte fchat.
Het oog op 's levens bron geflagen,
Behoefde hij nog fchroef of kram,
Nog beugel, glas of doode fchragen
Van eenen langverdorden ftam,
Bewust dat men de levenskrachten
Niet kan *erkennen* door den dood;
Moest hij het nietig tuig verachten,
Thans nog gefchat als een kleinood!!
Zeer diep is 's levensgeest gezonken!
En door den fchijn in flaap gefust,

Leeft

Leeft hij, van vreemde wuftheid dronken;
  Nog vaak in dezen ftaat gerust!
Veele eeuwen zag men henen rollen
  Met dezen ijdlen waan bezield;
Des levens bloed in d'adren ftollen,
  Elk geestenkiemtje fluks vernield.
De mensch, erkennend zijn gebreken,
  Vondt zich verlaagd met 't domme vee.
Van *diep geheim* mogt niemand fpreken,
  Of ftraks weergalmde 't angstig wee!



Thans is die ftrenge tijd verzwonden,
  Die Kunst en Wetenfchappen doemt,
Die aan den helfchen nijd verbonden
  De *zinlijkheid het ware* noemt.
Een' nieuwe fchepping ziet men dagen —
  De geest der tijden meer en meer
De langverwachte vruchten dragen,
  Ontfproten uit de fcheppingsleer.
De geestenwereld is ontfloten
  En niets kan meer verborgen zijn.
Hebt Gij dus heilge fpijs genoten,
  Dan drink der Goden levenswijn.
Betreed dan niet alleen den drempel
  Voor 't heil der Menschheid opgerigt;
Maar dring in 't diepfte van den tempel,
  Door *waarheids* glans zoo hel verlicht.
Bewandel, fteeds met reine zinnen,
  Des Hemels fchoonen bloesfemhof.
Daar zult ge meer genoegen winnen,
  Dan in het nietig wereldftof. —
Er ligt voor U het boek der waarheid,
  Door Schelling's geest in 't licht gebracht.
Daar vindt Gij in de grootfte klaarheid
  Geopenbaard des levenskracht.
Tosorthros immers is herboren —
  Die God die U op heden kroont,
Die allen roem reeds hadt verloren,
  Van 't laagst gepeupel werd gehoond,

Hij

Hij ziet zich 't nieuwe Outer ſtichten
Op het vergruisde Pantheon,
Durft weêr Zijne Arendsoogen richten
Naar elken ſtraal der gouden zon.



Blijf Hem getrouw als uwen Vader,
Dan voert Hij U aan zijne hand,
Der wijze Godheid immer nader,
Vereerd in beter Vaderland:
„ Dan droogt Gij wezenlijk de tranen,
„ Wen 't heil uit *uwe* handen vloeit,
„ Wen Gij de wegen *zelfs* kunt banen
„ Op welkers boorden 't welzijn bloeit:"
Dan noemt men U met zielsverrukken
Den redder en den menſchenvrind —
Dan voelt ge uw' handen dankbaar drukken,
Door 't lieve moederminnend kind.
Geniet Gij in uw kring dien zegen,
Die U mijn hart bij dezen biedt,
En die een elk op uwe wegen
Reeds ſchouwen kan in het verſchiet;
Dan mogen ſtormen woedend loeijen
En donders gonzend nederſlaan,
Elk element zich wuft vermoeijen
En dringen bruiſchend op U aan.
't Is niets! ge kunt dien nood trotſeren,
Die zich zoo fel te zamen drukt,
En van uw hoofd de ſlagen weren,
Zoo lang Gij wijsheids bloemen plukt.

P. G. VAN GHERT.
Jur. Utr. Doct.




AAN MIJNEN VRIEND

W. R. VAN BAERLE,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT DOCTOR IN DE GENEESKUNDE,

te Utrecht, op den XXXI. van Hooimaand A°. MDCCCIX.



Gij ziet thans, o mijn Vriend! uw noeste vlijt beloonen,
Met d'onverwelkbre kroon die Aesculaap U geeft.
Uw loopbaan, dus voleind, is aan het doel gekomen,
Dat zoo veel invloed op uw volgend leven heeft.
Voleind! waar is het eind' der Kunst die Gij beoeffent,
Schoon zij door Vrouw Natuur bestendig wordt geleid?
Want nachtlijk floers omhult het diep geheim van 't Leven:
Men tast soms zoekend rond, en vindt geen weg bereid.
Maar, ondervinding voert, wen oordeel haar verzelle,
Tot Waarheid's glansrijk licht, dat in dit duister straalt:
„ 't Eenvoudig' is haar zegel", en, vrij van vreemde luister,
Voert zij geen pronk van taal, waar valsch vernuft mee praalt.

De

De eer, mijn Vriend, is groot, U op deez' dag befchooren,
Maar groter noch de pligt, U op het hart gedrukt.
Aan dien getrouw, word' fteeds door U de fmart geleenigd
En vaak aan 't gapend graf een dierbre prooi ontrukt.
De Moeder die haar Kind — de Man die zijne Gade
Door U te rug ontvangt en dankbre traanen fchreit,
Beloonen meer uw' vlijt, dan alle fchat der aarde:
Want Peru's goud blijft hier; — de deugd loont d'Eeuwigheid.

B. F. S.



